MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-28

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

SCHULTZE, REINHARD

TITLE:

ADNOTATIONES AD AESCHYLI EUMENIDUM

PLACE:

KONIGSBERG I. D. N.

DATE:

1873

Master Negative #

91-80313-28

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ae7
RZ
v.2

Schultze, Reinhard,
Adnotationes ad Aeschyli Eumenidum partem priorem(v.1-233),scripsit Reinhardus Schultze...
Königsberg i.d.N., Striese, 1873.
39 p. 24 cm.

Programm des Friedrich-Wilhelms-gymnasiums zu Königsberg in der Neumark.

378076

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-29-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

88Ae7 RZ

Columbia University v. 2
in the City of New York

LIBRARY

88A-7
no. 1

Programm

des

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums

zu Königsberg in der Neumark,

mit welchem

zu der öffentlichen

Prüfung der Schüler

am 4. April

im Namen des Lehrer-Collegiums ergebenst einladet

der Director

Dr. C. W. NAUCK.

Inhalt:

1) Adnotationes ad Aeschyli Eumenidum partem priorem (v. 1—233). Scripsit Reinhardus Schultze Dr. phil., Subrector gymn.
2) Schulnachrichten, von dem Director.

Königsberg i. d. N. 1873.

Druck von J. G. Striese.

88 Ae7
v. 2

Adnotationes ad Aeschyli Eumenidum partem priorem.

In Aeschyli tragoediis emendandis et explicandis Godofredi Hermanni recensione fundamentum tantum positum esse, quo nisi ceteri pro suis quisque viribus elaborarent, ut summus ille poeta, qui quo est animo magno et excelso, a nostrae aetatis sensu multis locis abhorret, in dies melius intellegeretur, ipse vir clarissimus haud dissimulavit, quippe qui moriturus demum Mauricio Hauptio discipulo et genero suo officium demandarit ea, quae per longam annorum seriem in Aeschylo explicando summa industria et animi acumine effecerat, publici iuris faciendi. Itaque Hermanni recensione evulgata novum incrementum ceperunt studia virorum doctorum in Aeschylo posita. Quamvis igitur multi atque in eis acerrimi ingenii viri in Aeschylo emendando explicandoque elaboraverint, tamen non mirandum est, cum corruptissimae, atque etiam ex parte lacerae nobis servatae sint poetae fabulae, superesse haud exiguum locorum numerum nondum ab omni parte sanatorum vel recte explicatorum, atque etiam superesse locos quosdam, quibus eis, quae nunc habemus interpretationis et emendationis subsidia, rem prorsus ad liquidum perduci posse desperandum est. Quamcunque Aeschyli tragoediam evolveris, mox tibi persuasum erit permulta restare in explanandis poetae verbis. Quae cum ita essent, me quoque veniam impetraturum esse speravi, cum quid vires proficerent, in aliquot versibus Aeschyleis conandum statuissem. Ad quam rem cum elegissem priorem Eumenidum partem Delphis in Apollinis templo actam, non commentario illo quidem, quem perpetuum dicunt, instruendam hanc fabulam — hoc enim multis locis nihil aliud fuisset nisi acta agere — sed ibi tantum, ubi aut virorum doctorum variae sententiae nondum satis disceptatae videbantur, aut ipse novi aliquid afferre posse mihi videbar, rem fusius exponendam putavi.

Primum quod attinet ad personarum indicem fabulae praefixum, recte Franzius observasse mihi videtur scribendum esse Χορὸς Ἐρινύων, non Εὐμενίδων, cum in fine demum fabulae placentur illae deae et ex Furiis fiant amicae (εὐμενίδες). Miror neminem editorum hoc Franzii inventum recepisse: namque personarum notis in libris inscriptis non multum tribuendum esse satis constat.

Prologi partes agit vates Pythia, cuius sermonis a v. 1—65 ed. Herm. duae sunt partes. Priore parte a v. 1—34 omnes veneratur deos, quorum aliquis erat Delphis cultus, atque ex ordine ita invocat, ut paucis, quae de singulis affert, brevem quasi quandam ora-

culi historiam enarret. Primam Tellurem ibi oracula prodidisse dicit, deinde Themin, *ἣ δὴ τὸ μητρὸς δευτέρα τόδ' ἕζετο μαντεῖον* (v. 3). In hoc versu vocabulum *τό* nonnulli viri docti mutandum putaverunt, ut nuper quidam in editione, quae prodiit Gothae a. MDCCCLVII, qui *τόμουρος* scribere voluit, pro *τὸ μητρός* inusitatum inserens vocabulum, quod a veteribus interpretibus, ab Hesychio inprimis, explicatur *προφήτης, μάντις*. Sed cum sacerdotes et augures, atque etiam aeditui ex veterum testimoniis ita appellarentur, non potuit hoc vocabulo dea significari. Nihil igitur hoc loco mutandum; *τό*, id quod apud scriptores solutae quoque orationis invenitur, est 'ergo', 'igitur'.

Pergit enarrare Pythia post Themin aliam Titanida, Phoeben, Telluris filiam, oraculum occupasse, a qua deinde Phoebo quasi natalicium donum traditum esse, qui et ipse inde nomen duxerit (v. 8). Transfertur igitur in fabulis in deos mos, qui erat apud Graecos, ut nepotes ab avis nomina ducerent. Exemplum vero, quo a matris matre (erat enim Phoebe Latonae mater) apud mortales alicui nomen sit datum, mihi quidem nullum est notum. Ceterum in v. 7 non cum Porsono et Hermanno particula *δ'* eicienda, sed *ἥ* pro articulo praepositivo accipiendum. Cf. N. Wecklein, Studien zu Aeschylus, p. 165 sq., et quae ad v. 140 a nobis adnotata erunt.

Inde a v. 9—11 Pythia narrat Apollinem lacu et scopulo Delio relictis per Atticas oras in Parnasiam sedem venisse. Quibus versibus dubitationem quandam movit vox *χοιράδα*. Wieselerus enim in Coniectaneis ad Aeschyli Eumenides p. 1 probasse sibi videtur vocem *χοιρός*, derivatam a verbo *κείρειν* et respondentem nostro 'Scheere', non usurpari nisi de scopulis marinis vel litoralibus, ut apud ipsum Aeschylum Pers. 416; quare recte quidem commemorari apud Eurip. Tro. 89 *Δηλίους χοιράδας*, hoc autem loco *Δηλίαν χοιράδα* neque cum scholiasta montem Cynthum neque totam insulam quasi unam rupem intellegi posse. Ceterum quam fecit Wieselerus coniecturam, ut scriberetur *γυράδα* a *γυρός* derivatum, ei ipse non multum tribuit, laudans Lobeckium, qui ad Phryn. p. 417 docet nullum vocabulum a *γυρός* derivatum Atticos usurpasse. Atque nihil hoc loco mutandum esse confirmatur scholio quodam ad Il. XIII, 66 adscripto: *διανηξάμενος δὲ Αἴας εἰς τὰς Γυράδας καλουμένας πέτρας ἔλεγε χωρὶς θεῶν διασεσῶσθαι*, ubi cum unus liber vitiose habeat *χοιράδας*, patet *γυράδα* et *χοιράδα* saepius a librariis mutatas esse. — V. 10. *ἀκτὰς ναυπόρους* omnes, quantum video, interpretes passive intellexerunt, ut essent litora navibus perculsa. Verum si contuleris versum Eur. Tro. 877: *ναυπόρῳ δ' ἄγειν πλάτῃ Ἑλληνίδ' εἰς γῆν*, scil. Helenam, verisimile videtur adiectivum *ναυπόρος* utroque loco active accipiendum esse, ut sint *ἀκταὶ ναυπόροι Παλλάδος* 'Minervae litora naves moventia vel emittentia', id quod profecto de Atticae oris aptissime dicitur.

V. 12—14 Vulcani filii viam munientes, qui cum magna dei veneratione Delphos eum prosequuntur, aut universus Atheniensium populus aut Hephaestiadarum pagus esse possunt. Si conferimus locum Strabonis IX, p. 422 Casaub., qui Apollinem mitigatis hominum moribus Athenis Delphos perrexisse eadem narrat via, qua postea Athenienses sacros nuntios (*θεωρούς*) ad ludos Pythios misissent, id quod cum securibus eos fecisse scholiasta auctor est quasi mitigaturos terram, non videtur dubium esse, quin Vulcani illi filii universi sint Athenienses. Cum Erechtheum antiquum Athenarum regem e terra Vulcani semine respersa editum esse fama esset, neque raro a poetis Athenienses Erechthidarum nomine significarentur, eidem Hephaestiadae recte appellari poterant. Simul id quod dicit scholiasta:

χαριζόμενος Ἀθηναίοις καταχθῆναί φησιν ἐκεῖσε Ἀπόλλωνα, κἀκεῖθεν τὴν περιπομπὴν αὐτῷ εἶναι, ad certum quendum modum reducendum est. Multa quidem poetas tragicos adiecisse atque adeo finxisse constat ad concelebrandam patriae suae gloriam, velut si Sophocles Aiacis remiges Erechthidas facit (Ai. 202); in eis autem, quae hoc loco de Apollinis per Atticae fines itinere narrantur, Strabonem non modo cum Aeschylo consentire, sed etiam quaedam, quae apud poetam non inveniuntur, de ratione sacrarum legationum ab Atheniensibus Delphos missarum addere videmus.

V. 20 finitur a vate Pythia invocatio deorum quattuor, qui deinceps oraculum possederunt. His a v. 21—30 addit numina quaedam minus arcte cum oraculo coniuncta. Discrimen enim aliquod esse inter priores preces ad oraculi dominos conversas et posteriores, quibus alii invocantur dei, recte Odofredus Müllerus observavit, neque debebat Hermannus negare. Confirmatur haec ratio verbo *φροιμιάζομαι*, quod cum significet 'exordium facere', 'principium ponere', *τούτους ἐν εὐχαῖς φροιμιάζομαι θεούς* vertendum est: 'hos primum invoco deos'. Sunt autem quae secundo invocat loco item quattuor numina: Minerva, nymphae Corycides, Plisti fluvii fontes, Neptunus; Bacchus enim, ut videbimus infra, non rite invocatur, et Iuppiter omnium rerum confector (*τέλειος ὕψιστος Ζεύς*) extra ordinem ultimo precum loco ponitur. Iam transeamus ad singula. V. 21 nunc quidem inter omnes constat scribendum esse *προναία* vel, quod dedit Hermannus, *προνῴα*. Sacrum *τῆς Προνηίης Ἀθηναίης*, i. e. Minervae ante templum, Delphis fuisse et Herodotus quadraginta fere annis Aeschylo minor duobus locis commemorat, I, 92 et VIII, 37, et fuisse apud Delphos usitatam hanc nominis formam duabus inscriptionibus confirmatur. Postea *Ἀθηνᾶ Προναία* fiebat *Πρόνοια*, quod cognomen oratorum aetate videtur invaluisse, i. e. dea ante templum mutabatur in deam providentem, laesis, ni fallor, grammaticae legibus; *Πρόνοια* enim est nomen substantivum.

ἐν λόγοις πρεσβεύεται, ut est in libris, non opus est cum Hermanno mutare *εὐλόγως πρεσβεύεται*, cum *ἐν λόγοις* idem significans 'cum iusta quadam ratione' inveniatur Choeph. 604.

V. 23 lectionem *ἀναστροφή* a Victorio illatam recte recentiores editores reiecerunt, cum in optimis libris sit *ἀναστροφά*, quod iam deteriores mutaverunt in *ἀναστροφαί*, ut nunc legitur. Similis est librorum discrepantia in ultima voce v. 216, quam optimi libri praebent *μόρσιμοι*, deteriores vel *μόρσιμος* vel *μόρσιμοι* supra scripto *ος*. Quo loco Turnebus scripsit *εὐνὴ γὰρ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ μορσίμη*. Sed apparet ex *μόρσιμοι* facilius quam *μορσίμη* fieri *μόρσιμος*, quod iam deteriores libri dederunt et recte Hermannus recepit. *μόρσιμος* vero etiam pro adiectivo communi usurpatum fuisse docet Eurip. Rhes. v. 636, ubi est *μορσίμους σφαγάς*, et magis etiam Anthologiae Palatinae versus his verbis clausus: *μόρσιμος αἶα*, ubi metrum cuivis mutationi obstat.

Post v. 23 lacunam esse vult Hermannus. Nam Aeschyli fabulae cum non integrae ad nostram aetatem pervenerint, fieri non potest quin lacunas quoque passim ostendant. Sed tum demum ad lacunas recurrere licet, cum nulla alia ratione locus explicari aut sanari videtur posse. Hic autem locus lacuna non admissa vel meliorem praebet sententiam. Vult omnes deos venerari vates Pythia, qui quidem aliqua ratione oraculo coniuncti sunt. Praeter quattuor autem oraculi ipsius dominos iam nominavit Minervam nymphasque Corycides; tunc repente et ex improviso se ipsa commonefacit, ne Bacchi obliviscatur, gravis illius dei, qui quam perniciosus esset contemptoribus sui, Pentheus expertus erat. Sunt igitur v. 25—27 pa-

renthesis loco accipiendi, in quibus si cum libris deterioribus illis quidem (sed quidni librarii quoque quaedam correxerint?) post *Βρόμιος* inserueris *δ'* et pro *οὔτε* scripseris *οὔγε*, omnia recte procedunt. 'Bromius (nunc) habet locum, non obliviscar, ex eo quidem tempore, quo Baccharum dux fuit deus, Pentheo leporis instar fatum machinans.' Anapaestus, quem incusat Hermannus, in pede primo utique in nomine proprio satis habet excusationis. Post hanc parenthesin vates sermonem in verbis *δαιμόνων ἀναστροφαί* interruptum continuat. Turbatur autem series deorum ex ordine invocatorum, si cum Weilio v. 20: *τούτους ἐν εὐχαῖς φροιμιάζομαι θεούς*, post v. 27: *λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον*, ponitur. Hunc versuum ordinem elicuisse Weilius sibi videtur ex scholio ad v. 30 adscripto: *καλοῦσα φροιμιάζομαι*. Sed semper aliquid violenti habent tales versuum traiectiones. Illud *καλοῦσα* (v. 29) cum eis potius, quae sequuntur, coniungendum est, et cum Hermanno plena interpunctio post v. 29 a Victorio illata tollenda. Ita cum nihil sit supplendum ad *καλοῦσα*, recte sententiae procedunt.

V. 31 sq. superlativus *ἄριστα* pro comparativo videtur usurpatus esse, id quod neque in Latino neque in nostro sermone fieri licet, apud Graecos autem cuiuscunque generis scriptores saepius invenitur. Hoc loco aut dicendum erat *τῶν πρὶν εἰσόδων ἀμείνω δοῖεν* aut *πάντων εἰσόδων ἄριστα δοῖεν*. Quodsi Pythia ingressum templi, quem nunc factura est, prioribus adnumerat, violantur nescio quo pacto recte cogitandi leges. Neque tamen simpliciter superlativum pro comparativo poni, sed ut vim sibi propriam cum comparatione ad aliud quid retineat, iam Hermannus observavit ad Viger. p. 718: sacerdotem optare oracula sibi dari eorum, quae unquam acceperit, optima. Ita, ut ex huius usus exemplorum copia celeberrimum quoddam afferam, Thucyd. I, 1 bellum Peloponnesiacum se praevidisse fore dicit *ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων*. Idem est genus dicendi non ex omni parte rectum, cum bellum Peloponnesiacum non in numero bellorum antea gestorum esse possit.

V. 34 claudit vates venerationem deorum Delphis cultorum. Vix autem ad vaticinandum templum ingressa est, cum terribili Furiarum adspectu ibi dormientium perterrita statim recedit. Intervallum igitur quoddam statuendum est inter v. 34 et 35, quod etiam adscripto in cod. Med. vocabulo *διάλειμμα* notatur. Sequitur deinde vatis sermonis altera pars a v. 35—65, qua quam habuerit in templo terribilem adspectum describit usque ad v. 61, tum haec procuranda Apollini domino templi permittit a v. 62—65. In hac parte primum difficultatem movet v. 37, qui in libris ita est scriptus: *ὡς μήτε σωκεῖν μήτε μ' ἀκταίνειν στάσιν*, supra scripto in Med. *βάσιν* pro *στάσιν*. Verbum *ὀκταίνειν* a scholiasta per *κουφίζειν* explicatur (quae enim addit *σημαίνει δὲ καὶ τὸ γαυριᾶν καὶ ἀτάκτως πηδᾶν*, huic loco aliena sunt), a Phrynicho (in Bekkeri Anecd. p. 23, 12) ita: *Αἰσχύλος 'οὐκέτ' ἀκταίνω' φησί, βαρυτόνως, οἷον οὐκέτι ὀρθοῦν δύναμαι ἐμαυτήν*, cui explicationi melius convenire *στάσιν* quam *βάσιν* apparet. Iure igitur, id quod iam Wellauerus fecerat, editor Gothanus restituit lectionem *στάσιν*, a reliquis editoribus reiectam. Sed maxima huius loci difficultas inesse mihi videtur in verbo *σωκεῖν*. Quod invenitur apud Soph. El. 119: *μούνη γὰρ ἄγειν οὐκ ἔτι σωκῶ λύπης ἀντίρροπον ἄχθος*, ubi scholiasta et Suidas inter se consentientes explicant: *σωκῶ· ἀντὶ τοῦ ἰσχύω· οἱ δὲ νεώτεροι ἀντὶ τοῦ σώζω. σωκεῖν* igitur est 'valere', ut adiectivum *σῶκος* 'validus' vel, ubi Mercurii est cognomen, 'validam opem ferens'. Sed alia est ratio loci Sophoclei, alia nostri. Apud Sophoclem enim a verbo *σωκῶ* infinitivus pendet, id quod convenit significationi a scholiasta et a Suida notatae, neque illo loco

comprobari apud nostrum verbum *σωκεῖν* accipiendum esse 'pondere suo niti' Weilio crediderim. Multa conatus sum in hoc verbo, quod huic loco alienum esse mihi persuasum est, quorum nihil prorsus mihi sufficit. Donec melius aliquid inventum erit, acquiescendum duxi in coniectura *βάσκειν*. Quod verbum inchoativum a *βαίνειν* derivatum nusquam apud scriptores Atticos, hac quidem forma, apparere haud ignoro. Utitur tamen verbo composito *διαβάσκειν* incedendi significatione Aristoph. Av. 486, et exstat Hesychii glossa: *ἔβασκεν, ἐπορεύετο*. Sententiam autem huic loco aptam hoc verbo inserto effici nemo negabit. Dicit enim Pythia: 'ut neque incedere neque erectam me tenere possim.' Simul hac ratione toto versu constituto lectionem *στάσιν* genuinam esse confirmatur.

V. 38 aperte mihi nugari videtur scholiasta, *τρέχω δὲ χερσίν* ita accipiens, ac si quadrupedum more templo egrediatur vates. Miror fuisse interpretes, qui haec verba eadem ratione acciperent. Nihil aliud significant quam tremebundum incessum perterritae anus manibus templi parietibus iniectis se sustentantis.

V. 39 *οὐδέν* cum Hermanno pro nominativo accipiendum. *μὲν οὖν*, quod olim mutaverat in *μένος*, postea restituit. Satis speciosa est illa mutatio, sed neutiquam necessaria. Posterioris aetatis morem, ex quo anus debebat esse vates Pythia, hoc loco in antiquissima tempora transferri a poeta Schoemannus observavit. Diodorus enim XVI, 26 narrat olim virgines Delphis vaticinatas esse; cum autem Echecrates Thessalus Pythiae amore captus vim ei intulisset, lege constitutum esse a Delphis, ut matronae ultra quinquagesimum aetatis annum progressae id munus susciperent.

V. 45 in libris ita est scriptus:

λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον,

quod Hermannus ita mutavit:

λήνει μεγιστοσωφρόνως ἐστεμμένον.

Mutatio est lenissima, ω in ο, dummodo id ipsum quod effecit novum vocabulum interpretatus esset vir summus. Vix defendi potest Suppl. versu 679. Aliud enim est *Δίκη μεγιστότιμος*, Iustitia maximis honoribus affecta, aliud *κλάδος μεγιστοσωφρόνως ἐστεμμένος*, ramus ratione maxime prudenti coronatus. Nihil mutandum est. Atque archaeologi quidem *λῆνος μέγιστον* vittas esse praelongas volunt. Quod cum non negaverim, tamen adiectivum *μέγας* mihi grave aliquid et sanctum videtur significasse, ut a Soph. Phil. v. 394 in solemnibus precibus Pactolus fluvius, per se satis exiguus, ob Matris deum venerationem ibi concelebratam vocatur *μέγας*, quam vocem illo quoque loco interpretes immerito corruptam putasse mihi videntur.

A v. 47—61 Furiarum speciem describit Pythia: vidisse se ante supplicem hominem sanguine perfusum in umbilico sedentem mirabilem mulierum turbam in soliis dormientium; neque tamen mulieres sed Gorgones se eas dicere, sed ne Gorgonum quidem formis comparare posse. Tunc pergit narrare se vidisse quondam pictas Phinei dapes auferentes. Hic est sententiarum nexus. Sed ut omnia fiant aperta, Graeca sunt perscribenda verba:

47. *πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος*
48. *εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος.*
49. *οὔτοι γυναῖκας, ἀλλὰ Γοργόνας λέγω·*
50. *οὐδ' αὖτε Γοργείοισιν εἰκάσω τύποις·*
52. *εἶδόν ποτ' ἤδη Φινέως γεγραμμένας*
53. *δεῖπνον φερούσας· ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν*
54. *αὗται, μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι.*

Inter v. 50 et 52 lacunam esse iam Schützius statuit, quem secuti sunt Hermannus et plerique editores: Harpyiarum enim desiderari nomen. Harpyias autem hoc loco nominari non necesse esse Müllerus demonstrare conatus est his verbis: 'Sie (die Pythias) erinnert sich nämlich wieder an ein Kunstwerk, und indem sie nur den Anblick sich im Geiste erneuert, setzt sie nicht erst den Namen der Harpyien hinzu, den jeder Zuschauer von selbst ergänzte.' Quam rationem vix crediderim cuiquam probatum iri. Imaginis cuiusdam vatem Pythiam meminisse perspicuum est; sed quas formas in hac imagine viderit, eam dicere necessarium est. Id ipse Müllerus videtur sensisse, cum in versione Germanica nomen substantivum iniunxerit Graecis verbis alienum:

'Wohl sah ich Unholdinnen irgendwo gemalt
Die Kost des Phineus rauben.'

Unum igitur vel plures versus post v. 50 excidisse certum videtur, quibus Harpyiarum nomen commemoratum esset. Eurip. Ion. 209—211, quem locum affert Müllerus ad suam sententiam probandam, alia est ratio. Ubi cum chorus contempletur imagines templi muris insculptas, alterum hemichorium interrogat: *λεύσσεις οὖν ἐπ' Ἐγκελάδῳ γοργῶπιν πάλλουσαν ἴτυν;* alterum respondet: *λεύσσω Παλλάδ' ἐμὰν θεάν.* Praeterquam quod voce *γοργῶπιν* audita nemo non cogitabit de Minerva, ibi imagines oculis spectantium obversantur, quare si quis interrogavit: Videsne illam, quae clipeum vibrat, Gorgonis vultu insignem? ne ab altero non intellegeretur, non erat ei timendum. Parum probabilis, ut hanc paucis absolvam, Wieseleri mihi videtur coniectura, in libro eius citato fusius exposita p. 8 sqq., quam sibi e scholiastae verbis videtur elicuisse. Non admissa lacuna v. 50 ita scribendum putavit:

οὐδ' αὖτέ γ' Ἁρπυίαισιν εἰκάσω τύποις,

ut verba *οὐδ' αὖτέ γ' Ἁρπυίαισιν — φερούσας* in parenthesi sint dicta. Ut vero taceam de nigro colore, in quo dubitationem remanere ipse Wieselerus exposuit, parenthesi statuta verba: *ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν,* quibus qua re differant Furiae ab Harpyiis Pythia exponit, quae verba ad Harpyias respicere non possunt, nexu carent. Scholiastae verba: *ἀλλ' οὐδ' Ἁρπυίας αὐτὰς λέγω· εἶδον γὰρ αὐτὰς ἐν γραφῇ πτερωτάς,* nihil aliud demonstrant, quam ipsum quoque Harpyiarum nomen hoc loco legisse: quae autem de eis affert, post perditum illum versum, in quo Harpyiarum mentio facta erat, falso ad *Γοργόνας* a librariis relata sunt.

V. 55 *ῥέγκουσι δ' οὐ πλαστοῖσι φυσιάμασιν* utrum accipiendum sit 'stertunt autem non fictis flatibus' an 'stertunt autem halitu, cui periculosum est appropinquare,' dissentiunt interpretes. Furiarum flatus non fictos esse dici hic prorsus supervacaneum erat. Tres quidem Aeschyli locos affert Hermannus, qui *οὐ πλαστοῖσι φυσιάμασιν* 'non fictis flatibus' accipi vult; sed in uno tantum invenitur verbum *πλάττειν,* Prom. 1034: *ὡς ὅδ' οὐ πεπλασμένος ὁ κόμπος, ἀλλὰ καὶ λίαν εἰρημένος.* Primum autem in hoc Promethei loco fictae magniloquentiae opponitur ea quae dicitur; tum omnino aliud est magniloquentia non ficta, id est non dissimulata, aliud halitus dormientium non fictus. Quare cum vix dubium esse possit *οὐ πλαστὰ φυσιάματα* hoc loco nihil aliud esse nisi halitum, cui appropinquare sit periculosum, quae interpretatio defenditur nostrae fabulae v. 141 sq., ubi Clytaemnestrae umbra hortatur Furias, ut Orestem persequantur vapore suo, qui dicitur ventris ignis, id in dubio relinquitur, utrum scribendum sit *πλαστοῖσι* an *πλατοῖσι.* Hesychii quidem exstat glossa: *πλαστά· προσπέλαστα.* Cum autem Photius explicet *πλατά· προσπελαστά,* cumque in Prom. v. 716 metri ratio sine dubio requirat, ut *πρόσπλαστοι,* quae est librorum lectio, mutetur in

πρόσπλατοι, videtur in hoc adiectivo verbali una cum syncope littera *σ* eiecta esse, itaque scribendum *πλατοῖσι φυσιάμασιν.* Permira Wieseleri est interpretatio: 'stertunt autem flatibus, quos ego in imaginibus Gorgonum non repperi fictos,' quae ut intellegerentur, vellem adiecisset, quomodo omnino flatus in imaginibus fingi possent.

V. 56 haud dubie reicienda est deteriorum librorum lectio *βίαν,* quam complures editores, in recentiorum numero Franzius, immerito receperunt. Ex *δία,* quae est optimorum codicum lectio, Burgesius effecit *λίβα,* quae forma accusativi vocabuli *λιβάς* nusquam reperitur. Propius ad litterarum ductus accedit, quod Wieselerus editorque Gothanus adhibita Hesychii glossa: *δύαν· κρήνην,* coniecerunt, *δύαν.*

Postquam scaenam reliquit vates Pythia, apertis templi valvis, in quo dormire pergunt Furiae, una cum fratre Mercurio Apollo prodit Orestem consolaturus. In cuius dei verbis primum notandum v. 67 libros habere *καὶ πρόσω δ' ἀποστατῶν,* quod Blomfieldius correxit in *καὶ πρόσω γ' ἀποστατῶν,* quam emendationem Hermannus recepit. Simplicius Schoemannus, qui ipse quoque vidit *καὶ δὲ* ita coniunctum enuntiationi concessivae praefigi non posse, locum sanavit aliter distinguendo: *διὰ τέλους σοι φύλαξ (ὢν), ἐγγὺς παρεστὼς καὶ πρόσω δ' ἀποστατῶν, ἐχθροῖσι τοῖς σοῖς οὐ γενήσομαι πέπων,* ut utrumque participium *ἐγγὺς παρεστὼς καὶ πρόσω δ' ἀποστατῶν,* verbis *διὰ τέλους σοι φύλαξ (ὢν)* subiunctum sit. *καὶ — δὲ* coniunctum aliquotiens apud Aeschylum inveniri duobus locis, Prom. 977 et Pers. 152, comprobavit.

Iam qui mox sequuntur vv. 70 sq. maximam difficultatem movent in libris ita scripti:

ὕπνῳ πεσοῦσαι δ' αἱ κατάπτυστοι κόραι,
γραῖαι παλαιαὶ παῖδες, αἷς οὐ μίγνυται
κτλ.

Participium *πεσοῦσαι* pro verbo finito usurpari posse olim Hermannus putaverat, sed ipse postea improbavit. Corruptelam igitur inesse in hoc loco omnes, quantum video, consentiunt interpretes, ad quam sanandam alii alia excogitaverunt. Solus Hermannus lacunam statuit inter duos illos versus; ceteri omnes eam viam ingressi sunt, ut emendaretur verbum *πεσοῦσαι.* Maior est coniecturarum numerus, quas in hoc verbo fecerunt viri docti, quam ut omnes percenseam. Quae autem adhuc proposita sunt, aut obtrectant gravitati totius loci aut nimis abhorrent a librorum lectione. Nimis friget, quod proposuit Valckenarius, recepit Schützius, *πέλουσι,* ne *πνέουσι* quidem Winckelmanni coniectura huic loco respondet. Quid vero sibi velit Faehsii *πρέπουσι δ' ὕπνῳ,* me non intellegere fateor. Ad sententiam aptum, sed litterarum ductibus alienius est quod excogitavit Müllerus, *πονοῦσι.* Editor denique Gothanus suspicans interiisse scribae non tam interpolatione quam divinatione insolentius aliquod verbum, coniecit *ἀνηπελοῦσι* pro *ὕπνῳ πεσοῦσαι,* quod verbum inauditum explicavit per *ὀλιγηπελοῦσι* vel *ἀσθενοῦσι.* Mihi neque tentanda videtur loci gravitas verbo frigido, qualia sunt *πνέουσι* et *πέλουσι,* neque insolens et inauditum excogitandum, cum praesto sit verbum, quod et proxime accedat ad litterarum ductus et ad sententiam huic loco sit aptissimum, nimirum *πεδῶνται.* Ita scribere pro *πεσοῦσαι* mihi iam venerat in mentem, cum vidi Weilium quoque in eandem incidisse coniecturam. *πεδᾶν* de somno, si ad hunc verbi usum comprobandum exemplo opus est, dicitur ab Homero Od. XXIII, 17.

In versu qui sequitur offenderunt interpretes in duplici Furiarum epitheto, quo senectus significatur. Itaque cum Furiae et Noctis et Terrae filiae appellentur, pro *γραῖαι* alii

scripserunt Γαίας, alii, in quibus Hermannus, Νυκτός. Schützius denique coniecit, etsi non recepit, Νυκτὸς παλαιᾶς παῖδες. Prius illud sine dubio praeferendum, si omnino mutandum quid est. Sed diversa sunt illa epitheta: γραῖα est anus, παλαιός autem, licet de provecta aetate usurpetur, proprie est 'antiquus.' Ad sententiam igitur Franzius recte reddidit: 'Die alten, greisen Mädchen,' nisi quod mutato verborum ordine dicere debuit: 'Die greisen, alten Mädchen.' In verbo μίγνυσθαι minime de concubitu cogitandum esse crediderim, cui interpretationi praeter foeditatem rei id repugnat, quod in eorum numero, qui Furiarum consuetudinem fugiunt, ferarum quoque mentio fit. Quamquam enim in fabulis quaedam exempla sunt feminarum, qui feris concubuerint, id tamen ita raro factum esse traditur, ut feras hic singulatim commemorare absonum fuerit.

V. 79 cum libri habeant βεβῶντ' ἂν ἀεί, Turnebus coniecit βεβῶντ' ἀνατεί. Sed infelicissima est coniectura, quam non debebant editores recipere. Primum enim si a Furiis agitatur Orestes, non potest impune mare et terras peragrare; tum quid est βεβῶντα? Non multo felicius Müllerus coniecit βεβῶτ' ἀλατεί, quam vocem a verbo ἀλᾶσθαι derivatam vertit 'in Hast.' Mihi non dubium videtur quin verum viderit Hermannus, cum ἄν particulam in ἀνά praepositionem mutaret et scriberet ἀν' ἀεί. Sed etiam in verbo βεβῶντ' mutatione opus est, quare Hermannus emendavit βιβῶντ' ἀν' ἀεί. Cui emendationi non refragatur, quod verbum βιβᾶν in eis quas habemus tragicorum fabulis non invenitur, quod ipse quoque adnotavit Hermannus. Cum vero et perfectum huic loco minus aptum sit quam praesens, et multo facilius insolentior forma βιβῶντ' librariorum incuria amitti potuerit, nihil obstat quin cum Hermanno inseramus hanc formam βιβῶντ' a verbo βιβᾶν deductam, quo praeter poetas epicos Pindarus quoque utitur. Vocem ἀεί saepius ita transici Hermannus exemplis demonstravit. Huic quoque loco, ut aliorum commenta taceam, Schoemannus succurrit servato perfecto aliter distinguendo: ἐλῶσι γάρ σε, καὶ δι' ἠπείρου μακρᾶς βεβῶτ', ἀν' ἀεὶ τὴν πλανοστιβῆ χθόνα, qua ratione efficitur sententia satis apta. Quare in medio relinquamus, utrum cum Hermanno scribendum sit βιβῶντ' an cum Schoemanno βεβῶτ'. (βεβῶντ' enim ab Aeschylo profectum esse non potest.) Vox ἀεί arctius cum πλανοστιβῆ quam cum βιβῶντα vel βεβῶτα coniungenda, id quod iam Wieselerus p. 18 observavit. Idem, cum libri v. 80 habeant πόντου, quod editores mutaverunt in πόντον, versum haud improbabiliter ita scribendum putat:

ὑπέρ τε πόντου κατὰ περιρρύτας πόλεις.

V. 82 accusativus πόνον potius cum πρόκαμνε quam cum βουκολούμενος coniungendus, quod sine dubio cum Hermanno passive intellegendum est. προκάμνειν πόνον est figurae etymologicae, quam grammatici dicunt, genus latius patens pro προπονεῖν πόνον.

V. 83 ἄγκαθεν scholiasta explicat ταῖς ἀγκάλαις, quam explicationem hoc loco aptissimam non satis iustis de causis in dubitationem vocavit Schoemannus, qui illud vocabulum correptum esse putat ex ἀνέκαθεν, ut Ag 3, ut sit 'superne.' In ipso Agamemnonis loco Hermannus miram dicens apocopen (potius dicere debebat syncopen) defendit scholiastae interpretationem. Quae licet illo loco minus apta sit, nostro tamen una videtur vera esse. Mire enim Apollo Orestem iuberet Minervae simulacrum superne complecti.

V. 84 τῶνδε omnes, quantum video, interpretes genere neutro videntur accepisse. Mihi quidem corrigi videtur sententia, si τῶνδε pro feminino accipimus et ad Furias referimus, itaque δικαστὰς τῶνδε vertimus: 'iudices de hisce', Furiis. Insequenti versu

ἔχοντες glossema esse vult, in quo lateat genuina lectio λαχόντες, Heimsoeth in libro qui inscriptus est 'Die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus' p. 98, et in alio 'Die indirecte Ueberlieferung des aeschylischen Textes' p. 10. Speciosa est coniectura, sed non necessaria.

V. 95 locus est vexatissimus. Libri consentiunt in lectione ἐκ νόμων. Quod cum voce σέβας haud bene coniungi putantes Hermannus in ἐκνόμως, alii in ἐκνέμων mutaverunt. Altera mutatio sententiam praeberet satis aptam: σέβει τοι Ζεὺς τόδ' ἐκνόμως σέβας, 'reveretur Iuppiter hanc reverentiam praeter legem,' i. e. illegitima vel insolita ratione, si haec vocis ἐκνόμως significatio exemplis confirmari posset. Sed alius videtur huius vocis usus fuisse. Ag. 1441 Clytaemnestram poeta dicit gloriari caede mariti a se perpetrata ἐκνόμως, quod quam parum cum hoc loco consentiat apparet. Et adiectiva forma ἔκνομος apud posteriores demum scriptores invenitur, ut apud Diod. XIV, 112, ubi plane vertit in significationem cruciatus nefandi vel crudelis. Etsi igitur hoc adiectivum aliter vulgo usurpatum videmus, tamen, si solam derivationem vocabuli spectamus, ea significatione usurpari potuit, quam Hermannus ei hoc loco iniunxerat. Qui autem ἐκνέμων scribi voluerunt, vereor ne Aeschylo soloecismum obtruserint. Activum enim verbi ἐκνέμειν commemoratur sola in Hesychii glossa: ἐκνενεμήκασι· παραδεδώκασι. Sed hoc loco omnino nihil mutandum videtur. Qui ut recte intellegatur, id primum diiudicandum est, quid sit τόδε σέβας, utrum proprie accipiendum 'haec reverentia,' an sit Mercurius, an Orestes denique. Priorem interpretandi rationem ingressus est Weilius vertens τόδ' ἐκνόμων σέβας 'hanc exlegibus debitam reverentiam,' postea Hermannus quoque, qui reiecta coniectura ἐκνόμως in Aeschylo edendo librorum lectionem τόδ' ἐκνόμων σέβας restituit et scholiastae verbis interpretatus est: τὸ τῶν ἱκετῶν σέβισμα καὶ δέημα. Ex qua ratione ἐκνόμων σέβας est 'reverentia vel dignitas hominum lege solutorum.' Plerique autem editores et interpretes τόδε σέβας intellexerunt Mercurium vel Mercurii munus quo prosequitur supplices. Qua admissa interpretandi ratione ex ἐκνόμων duo facienda vocabula ἐκ νόμων, quae vertenda 'secundum leges' et cum verbo σέβει coniungenda sunt, quod ex sermonis Graeci indole fieri posse non negaverim. Sed in ea re non immerito Wieselerus quoque offendit p. 19, qui ex verbis, quae scholiasta adscribit: τὸ τῶν ἱκετῶν σέβισμα καὶ δέημα οὐ μόνον τιμᾷ Ζεὺς, ἀλλὰ καὶ σέβει, poetae verba restituisse sibi videtur ita scribens: σέβει τοι Ζεὺς τόδ' ἐκτιμῶν σέβας, quem versum potuit quidem scholiasta ante oculos habere, sed non debuit. Sed etiam Wieseleri ratio in eo consentit cum ceteris interpretibus, quod τόδε σέβας intellegit Mercurii munus. Quid autem? si τόδε σέβας intellegimus Orestem ipsum, nonne toti loco lux quaedam accedit incredibilis? Hominem ipsum σέβας appellari posse poetarum aliquot locis videor mihi comprobare posse, ut apud Eurip. Iphig. Aul. 631 Clytaemnestra maritum suum alloquitur: ὦ σέβας ἐμοὶ μέγιστον, Ἀγαμέμνων ἄναξ, vel Soph. El. 685, ubi Orestes Pythia ingressus esse dicitur πᾶσι τοῖς ἐκεῖ σέβας, vel Theocrit. 24, 78, ubi de Alcmena dicitur: σέβας δ' ἔσῃ Ἀργείαισιν. Quos locos nostro non prorsus congruere quamquam non diffiteor, id tamen demonstrant, hominem venerandum ipsum dici σέβας. Quidni ita diceretur etiam homo diis tuendus et supplex, qualis hic est Orestes? Utique hoc loco poetam dicere oportet Orestem a Iove custodiri, non Mercurium. Iam si statuimus σέβας esse Orestem, hic re vera ἐκ νόμων est, i. e. legibus humanis solutus, quem Iuppiter tuetur ad mortales proficiscentem cum fortuna boni comitatus, i. e. a Mercurio comitatum. Restat ut de verbo ὁρμώμενον pauca dicamus. Quod cave ne passive accipias et cum dativo βροτοῖσιν iungas, 'pulsum vel excitatum ab hominibus.' Grammatica ratione

quamquam passive accipi potest verbum ὁρμᾶσθαι, id quod docent vv. Choeph. 928 sq.: ὁ Πυθοχρήστας φυγὰς θεόθεν εὖ φραδαῖσιν ὡρμημένος, nostro tamen loco non neglegendum est, quod non homines Orestem propellunt sed Furiae.

Post utriusque dei cum Oreste discessum Clytaemnestrae umbra in scaenam prodit et se a Furiis foede desertam et proditam esse queritur, quibus vivens saepissime libaverit. In cuius oratione (v. 97—119) notandum primum ἅπαξ εἰρημένον in verbo ἀπητιμασμένη (v. 98), item usus verbi μηνίεται genere medio (v. 104). Aliquanto maiorem difficultatem movet v. 99, quem cum libri talem habeant:

ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν ὡς μὲν ἔκτανον,

plerique editores receperunt Tyrwhitti coniecturam ὧν pro ὡς. Quae quomodo e scholiastae verbis: ὑπὲρ ὧν ἐφόνευσα Ἀγαμέμνονα, ἀπώσασθε· καὶ οἱ ἐμὲ φονεύσαντες οὐκ ἀτιμάζονται, eruatur quamquam non video — nam apud scholiastam ὧν est genus neutrum, apud poetam masculinum — tamen per se satis est probabilis. ὧν μὲν ἔκτανον ita suspensa sunt ex ὄνειδος, ut ex usu apud Graecos scriptores frequentissimo ὧν dictum sit pro τούτων οὕς. Potuit quidem numerus pluralis usurpari, etsi unum tantum percussit Clytaemnestra; sed non video quid causae sit, quod interpretes tam obstinate negarint hic de Cassandrae quoque caede cogitandum esse. Quam si admittimus emendationem et interpretationem, vocabula κείνων ὕπο (v. 102) ad ὧν referenda sunt. Sed restat quaestio de structura totius sententiae vv. 98—101 expressae. De qua ut magis perspicue exponamus, illos versus huc transscribere praestat:

ἐγὼ δ' ὑφ' ὑμῶν ὧδ' ἀπητιμασμένη
ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν, ὧν μὲν ἔκτανον
ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται,
αἰσχρῶς δ' ἀλῶμαι.

Schützius pronomen ἐγώ, a quo tota sententia incipit, cum ἔκτανον coniungi voluit. Quae ratio mihi haudquaquam videtur probanda. Immo vero ἀνακόλουθον statuendum est, ac si poeta dicere voluerit ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν ἔχω οὐκ ἐκλειπόμενον. Iungendum igitur potius illud ἐγώ cum sequenti verbo αἰσχρῶς ἀλῶμαι, quod ipse poeta repetita δέ particula indicavit, qua particula Clytaemnestra se ipsam turpiter oberrantem opponit Furiis placide dormientibus. Ita Schoemannus quoque hos versus intellexit. Simile est ἀνακόλουθον in sequentibus vv. 103—105:

παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων
οὐδεὶς ὑπέρ μου δαιμόνων μηνίεται,
κατασφαγείσης πρὸς χερῶν μητροκτόνων,

quae verba respondere illis ὧν μὲν ἔκτανον, ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται, recte Schützius vidit. Ut enim grammatica ratio constaret, dicendum erat παθούσης. Cuius similisve anacoluthiae quamquam sexcenta sunt exempla apud scriptores Graecos, Gothanus tamen editor v. 103 aut eiciendum putat aut post v. 98 reponendum: quam rationem eo quoque probari, quod verba ὅτι ἔχω μεγίστην αἰτίαν κείνων ὕπο solemniter inducta nihil novi addant. De eiectione versus isti videant, qui laetantur talibus ἀθετήσεσιν, post v. 98 vero reposito illo versu totam huius loci sententiam turbari ex eis, quae supra exposuimus, certissimum est. Illa autem offensio, quod verbis ὅτι ἔχω μεγίστην αἰτίαν κείνων ὕπο nihil novi addatur, tollitur, si legimus v. 99 ὧν pro ὡς: iam enim illi, a quibus accusatur Clytaemnestra, non omnes sunt

φθιτοί, sed ei tantum, quos ipsa occidit, i. e. Agamemno et Cassandra. Denique ut hunc locum conficiam: μητροκτόνων esse adiectivum et cum χερῶν coniungendum, non suspendendum, vix adnotarem, nisi viderem ab editoribus hoc omissum esse.

Vv. 106—108 in cod. Med. ita sunt scripti:

ὅρα δὲ πληγὰς τάσδε καρδίαι σέθεν
εὕδουσα γὰρ φρὴν ὄμμασι λαμπρύνεται
ἐν ἡμέρᾳ δὲ μοῖρα πρόσκοπος βροτῶν.

Qui versus, in quorum primo secundae classis libri ex καρδίαι fecerunt καρδίᾳ, deteriores καρδία, ut recte constituantur atque intellegantur, ab ultimo ordiendum est, in quo quin scribendum sit μοῖρ' ἀπρόσκοπος dubium esse non potest: non videntem enim interdiu mentem opponi per somnum illustratae patet. Ac vix haec est mutatio. Sed exstiterunt, qui ne ea quidem admissa hos duos versiculos (107. 108) ita, ut sunt in libris scripti, ab Aeschylo profectos esse putarent. Quare aut emendandis aut eiciendis hisce versiculis locum sanare studuerunt. Schützius, ut ab hoc incipiamus, in dubitationem quidem vocans duos hosce versiculos, sed non ausus eicere, miris ambagibus ita explicare studuit: 'Nam hominum quoque animi in somno clarius cernunt, cum interdiu iis non datum sit futura providere. Quanto magis vobis ut deabus credibile est me per quietem ita apparere, ut, si me neglexeritis, id voluntati potius vestrae quam inscientiae tribuendum sit.' Quod Schützius non ausus est, Linwoodius, cui alii quoque assenserunt, facere non dubitavit, hos duos versiculos aliunde huc irrepsisse putans. Tum Hermannus pro βροτῶν scribi iubet φρενῶν, quam emendationem ex scholiastae verbis sibi videtur eruisse. Sed quae scholiasta adnotavit: ἡ τῆς φρενὸς μοῖρα οὐ προορᾷ ἐν ἡμέρᾳ, hanc mutationem non confirmant, cum vox φρήν in antecedenti versu occurrat. Franzius denique βροτῶν servandum illud quidem censet, sed defendi vult v. 462 sq.: τὸ πρᾶγμα μεῖζον ἤ εἴ τις οἴεται τόδε βροτῶν δικάζειν, cuius loci plane alia est ratio. Sed iam propius accedendum ad primum versum, in quo summa inest huius loci difficultas. Quem talem, qualis in optimo codice est scriptus, sensu carere patet. Itaque varia commenti sunt viri docti. Hermannus eam emendationem, quam olim proposuit in censura libri ab Odofredo Müllero de Eumenidum fabula editi, etiam in Aeschyli editione servavit:

ὅρα δὲ πληγὰς τάσδε καρδίας ὅθεν.

Non recte huic rationi a Müllero obici v. 582, ubi Clytaemnestrae ab Oreste vulnus illatum dicitur non in corde sed in collo, ipse Hermannus dixit. Et sententiam ab eo effectam esse huic loco aptam nemo negabit. Sed forsitan locus leniore cura sanari possit. Etiam quod ipse Müllerus Pauwium secutus dedit:

ὁρᾷ δὲ πληγὰς τάσδε καρδία σέθεν,

nimis longe recedit a librorum scriptura. Primum patet καρδίαι in secundae classis libris recte mutatum esse in καρδίᾳ. Et haec ipsa vix mutatio est. Quod si dativo locum concedimus, servandus est imperativus ὅρα, neque scribendum ὁρᾷ. καρδίᾳ ὁρᾶν, 'corde videre,' non repugnare Graeci sermonis indoli Schoemannus fusius exposuit, qui genetivum σέθεν ex καρδίᾳ suspendendum putat. Ita hunc locum intellegi posse non equidem negaverim; tamen melior evadet sententia, si hunc genetivum cum substantivo φρήν iungimus. γάρ particula tertio loco posita invenitur apud scriptores Graecos, et apud ipsum Aeschylum, licet ex emendatione, exstat Ag. 703. Vel post quintam vocem posita invenitur particula γάρ apud Soph. Phil. 1451, ubi recte Hermannus adnotavit videndum esse non post quotum, sed

post quale verbum particula ponatur. Ita hoc loco post εὕδουσα aptissime ponitur. Atque a comicis quidem poetis saepissime post quintam vocem illatam esse particulam γάρ Meinekius docuit in libro de Menandri et Philemonis reliquiis conscripto p. 7. Mihi igitur, ut paucis comprehendam, quae de hoc loco disputata sunt, vv. 106—108 ita scribendi videntur:

ὅρα δὲ πληγὰς τάσδε καρδίᾳ· σέθεν
εὕδουσα γὰρ φρὴν ὄμμασι λαμπρύνεται,
ἐν ἡμέρᾳ δὲ μοῖρ' ἀπρόσκοπος βροτῶν.

Quos si hac ratione constituimus, tribus lenissimis remediis totus locus sanatur. Primus versus aliter distinguitur, ex καρδίαι fit καρδίᾳ, ex μοῖρα πρόσκοπος μοῖρ' ἀπρόσκοπος. Quod adiectivum si passive accipimus, totius loci haec exsistit sententia: 'Vide animo haec vulnera; tua enim mens dormiendo illustratur, interdiu autem non tibi praevidetur fatum hominum,' inprimis Orestis, qui tibi persequendus est. Cui interpretationi si quis obicere vult non Furiarum modo sed etiam hominum mentem dormiendo illustrari, id de Furiis dici tamen ante omnia hoc loco necesse erat. Haec iam perscripseram, cum vidi illam post καρδίᾳ distinctionem iam anno MDCCCXXIX propositam esse ab E. A. Ahrens in programmate scholastico, quod Coburgi prodiit.

Vv. 109—113 Clytaemnestrae umbra queritur prorsus neglectas esse a Furiis libationes, quas ad illas placandas fecerit. Quas libationes ἀοίνους dicit, vino carentes, et νηφάλια μειλίγματα, sobria piacula. Vinum ad has libationes non esse adhibendum confirmatur a Soph. O. C. 469—484, ubi, quomodo placandae sint Eumenides, Oedipus accuratius docetur a senibus Atticis. Aquam solam adhiberi solitam fuisse scholiasta docet ad O. C. 100. Ceterum cum apud inferos Clytaemnestram Furiis sacrificasse non verisimile sit, non intellegendas esse eas libationes, quas fecerit ad stimulandas illas ad Orestis poenam, sed eas, quas fecerit post Agamemnonis caedem ad avertendam Furiarum iram, recte Schützius vidit. Dignus est locus qui notetur, cum doceat mariti quoque caedem a Furiis vindicari.

Insequentibus versibus (114—116) pergit queri Clytaemnestra Orestem evasisse hinnulei instar, ut est in libris, ἐκ μέσων ἀρκυσμάτων. Quod vocabulum cum nusquam alibi inveniatur, editores mutandum censuerunt in ἀρκυστάτων. ἀρκύστατος autem proprie nomen est adiectivum, quare in πημονὴν ἀρκύστατον Ag. 1335, quod Hermannus mutavit πημονῆς ἀρκύστατ' ἄν, non offendendum videtur. Sed ex adiectiva forma derivatum est substantivum ἀρκύστατον, quod occurrit Pers. 100: εἰς ἀρκύστατα, ubi item Hermannus scholiastam legisse ratus vocabulum ἄτα mutavit εἰς ἄρκυας ἄτα. Et prorsus simili ratione ac nostro loco Soph. El. 1476 dixit: τίνων ποτ' ἀνδρῶν ἐν μέσοις ἀρκυστάτοις πέπτωχ' ὁ τλήμων; Sed nostro loco vix quidquam mutandum videtur, non enim offendendum apud Aeschylum in ἅπαξ εἰρημένῳ. Admissa autem emendatione ἀρκυστατων hoc vocabulum pro masculino potius quam pro neutro acceperim, itaque scripserim ἀρκυστατῶν. Iam verba ἐκ μέσων ἀρκυστατῶν vertenda sunt: 'ex mediis retia tendentibus,' i. e. Furiis. Hanc nimirum explicationem huic loco aptissimam esse apparet. Restat ut vocabuli formam, quantum fieri potest, confirmem. Vocabulum ipsum quidem ἀρκυστάτης nusquam exstat, sed neque officit Graeci sermonis indoli et confirmatur similibus formis, quales sunt λαυροστάτης, δεξιοστάτης, ἀριστεροστάτης, ζυγοστάτης. Quare tale ἅπαξ εἰρημένον, cuius alia est ratio ac verbi ἐκνέμειν (v. 95), Aeschylo tribuere non dubitaverim.

Vv. 117—119 Clytaemnestra Furias hortatur, ut audiant animoque percipiant, quae ipsa eis dixerit. In his versibus nihil mutandum esse recte Hermannus contendit. Versus enim 117 sq. in libris ita scriptos:

ἀκούσαθ' ὡς ἔλεξα τῆς ἐμῆς περὶ
ψυχῆς· φρονήσατ' ὦ κατὰ χθονὸς θεαί,

olim sic edendos censuerat:

ἀκούσαθ' ὧν ἔλεξα· τῆς δὲ μὴ πέρι
ψυχῆς φρονήσατ' ὦ κατὰ χθονὸς θεαί.

Qua Hermanni coniectura recepta Schützius hos versus ita vertit: 'Audite quae dixi; nolite hanc animam (i. e me, δεικτικῶς) contemnere, o deae subterraneae.' Volunt enim qui hanc lectionem sequuntur τῆς πέρι ψυχῆς φρονήσατε dictum esse pro τῆς ψυχῆς περιφρονήσατε. Non debebant autem, id quod observavit Wellauerus, Aeschylo obtrudere μή cum imperat. aor. iunctum. Notissimum est illud περὶ ψυχῆς λέγειν, quod non multum differt ab eo quod dicitur περὶ ἐμοῦ λέγω. Quod praeterea Schützius huic interpretationi opponit, in eis quae antecedunt de sua persona non dixisse Clytaemnestram, futile est, cum totum sermonem a se ipsa incipiat et complura de se dicat. Nihil igitur mutandum in librorum lectione ab Hermanno in editione sua restituta, nisi quod post ἀκούσαθ' melius commate quam colo distinguitur.

V. 119. ὄναρ interpretes dissentiunt utrum pro nomine substantivo cum Κλυταιμνήστρα coniungendo an pro adverbio potius accipiendum sit. Redit hoc vocabulum v. 134, ubi aperte pro adverbio est positum. Nostro tamen loco pro nomine substantivo et pro nominativo accipere satius videtur.

Ad Clytaemnestrae hortamenta respondent Furiae iteratis gemitibus et fremitibus, quibus dormire se quidem, percepisse tamen quae illa dixerit indicant. Ad primum earum gemitum respondet Clytaemnestra v. 121, gemerent modo; interea illum virum longe effugisse. Cur a Furiis neglectus Orestes aufugere potuerit, eius rei causam inesse necesse est in v. 122. Haec autem causa in librorum lectione:

φίλοις γάρ εἰσιν οὐκ ἐμοῖς προσίκτορες,

inesse non potest, quod Müllerus quoque sensit, qui librorum lectionem servavit ille quidem, vertit autem: 'Denn Schützer finden sie, die meine Seele hasst.' Aliud haec verba dicere, aliud Graeca, nemo non videt. Quod primum attinet ad vocem προσίκτορες, et Hermannus et Müllerus et plerique interpretes προσίκτορας hoc loco non esse supplices sed tutores, Apollinem et Mercurium, recte videntur statuisse. Unus, quantum video, Wieselerus p. 26 προσίκτορας hic quoque ut aliis locis supplices esse voluit, cum v. 122 ita verteret: 'Amicis, qui non mei sunt amici, supplices sunt.' Sed primum mirum in modum Apollo Mercuriusque a Clytaemnestra dicerentur amici. Quae verba ut ita intellegi possent, saltem, id quod voluit editor Gothanus, pro εἰσίν scribendum foret οὖσιν. Atque omnino constare videtur sola interpretatione hunc locum expediri non posse. Iam ut dicam quod sentio, ex omnibus, quae a viris doctis prolatae sunt, coniecturis duae tantum sententiam mihi efficere videntur huic loco aptam. Quarum altera est Hermanni, qui una littera deleta versum sanasse sibi videtur, cum scriberet ἐμοί pro ἐμοῖς et distingueret ita:

φίλοις γάρ εἰσιν, οὐκ ἐμοί, προσίκτορες.

Cui rationi duas dubitationes obstare Schoemannus contendit, alteram grammaticam, quae vix alia esse potest quam quod desideratur articulus, alteram in voce φίλοις. φίλοι enim in Clytaemnestrae

ore alii esse non possunt nisi cognati, i. e. Orestes. Qui tamen quo modo a matre sibi infestissima amicus appellari potest? Prorsus alia ratio est v. 103, ubi Clytaemnestra dicit se haec, mortem, passam esse ab amicissimis, i. e. qui amicissimi esse deberent. Similis est ratio huius fabulae v. 351, Choeph. 231, Spt. 946 sq.; Soph. El. 518, Eurip. Androm. 175: quibus omnibus locis φίλοι vel φίλτατοι dicuntur, qui ob cognationem deberent esse amicissimi, re quidem vera sunt inimicissimi. Qua ratione nostro loco vox φίλοι; ita unde posita vix intellegi potest. Immo sic prorsus in universum sententia videtur accipienda: 'Amicis, i. e. inter quos intercedit amicitiae necessitudo, qui amicos habent, sunt tutores.' Neque tamen negaverim aliquid incommodi remanere in hac explicatione. Itaque altera illa, quam modo commemoravi, coniectura editoris Gothani, litterarum ductibus non difficilior, videtur praeferenda esse, qui εἰσίν in οὖσιν mutari vult et v. 122 ita scribi:

φίλοις γὰρ οὖσιν οὐκ ἐμοῖς προσίκτορες,

'amicis enim, qui non mei sunt, (i. e. Oresti) tutores adsunt.' Weilius denique versum ita edidit:

φίλοι γάρ εἰσιν οὐκ ἐμοῖς προσεικότες,

quod ita vertit: 'Amicos enim habet non meis similes,' sed vigilantes et impigros. Negat enim Weilius vocem προσίκτωρ cadere in eam quae Clytaemnestrae cum Furiis intercedat rationem; quod quo iure neget, ego non assequor. Cum enim veniat ad Furias Clytaemnestra supplicatura, eodem iure hae eius προσίκτορες dici possunt quo Apollo et Mercurius Orestis. Praeterea in lectione Weiliana incommodius desideratur dativus αὐτῷ.

Ad iteratum chori gemitum respondet Clytaemnestra v. 124 nimis eum consopitum esse neque curare malum (πάθος), suum, Clytaemnestrae ipsius, non Orestis, quod aliquis possit intellegere.

Usque ad v. 133 chorus nullam claram vocem edit, sed gemitus modo et fremitus. Quos antistrophicos esse primus Hermannus perspexit. Cf. quae ipse statui de antistrophica huius tragoediae partis, quae meo quidem iudicio prologi est finis, circumscriptione in commentatione: 'De re scenica in Aeschyli Eumenidibus,' Colbergae a. MDCCCLIX p. XI. Iam vero cum duo sint gemitus, duo fremitus, deinde duplex gemitus acutus, quem excipiunt quinque imperativi: quid magis consentaneum quam cogitare hic de quinque iugis, e quibus auctore Polluce IV, 108. 109 compositus erat chorus tragicus? In templo in sellis consedisse chorum ipse poeta v. 48 indicat. Quare si consideramus plerumque chorum per ordines et iuga dispositum orchestram ingressum esse, si reputamus in Graecorum arte vel minima studiose elaborata et omni ex parte bene composita fuisse, Furiarum quoque chorum in Apollinis templo non incomposite et casu quodam sellas occupasse, sed certo quodam ordine dispositum fuisse probabile est. Quam dispositionem singulis choreutis numeris significatis depingamus talem:

XI.	XII.	XIII.	XIV.	XV.
VI.	VII.	VIII.	IX.	X.
I.	II.	III.	IV.	V.

ut III. sit coryphaea, ea quidem ad spectatores conversa. Iam si longiores series sunt ordines, breviores iuga: primus gemitus (v 120) tribuendus erit iugo constanti ex XI. VI. I., alter (v. 123) XV. X. V., primus fremitus (v. 126) XII. VII. II., alter (v. 129) XIV. IX. IV., gemitus denique duplex acutus (v. 132) XIII. VIII. III. Simili ratione quinque illi imperativi (v. 133) inter quinque iuga dividendi, ut illud φράζου pronuntiet medium iugum constans

ex XIII. VIII. III. Post Clytaemnestrae novem senarios prima de sella sua prosilit coryphaea (III.) verbis ἔγειρ' ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ', ἐγὼ δὲ σέ, ceteras expergefactura. Ita primis chori vocibus constitutis propius accedimus ad librorum lectionem quam nimis contorta Mülleri ratione, qui vocem φράζου ante λάβε et hoc ipsum septiens posuit. Ad quam rationem firmandam ad scholiastam metricum, quem dicunt, Müllerus provocat: cuius quam exigua sit auctoritas inter viros doctos constat. Atque ipse Müllerus confitetur hunc scholiastam illud λάβε quinquiens videri legisse, quod pro suo arbitrio septiens posuit. Mirabilius etiam Wieselerus p. 27 ipse quoque illi scholiastae aliquid auctoritatis tribuendum ratus vocem λάβε quinquiens posuit, ut efficiatur illud quod scholiasta vult τροχαϊκὸν ἑφθημιμερὲς ἐκ τριβραχέων·

λάβε, λάβε, λάβε, λάβε, λάβε,
⏑⏑⏑ ⏑|⏑⏑⏑⏑|⏑⏑⏑ ⏑|⏑

et φράζου priori versui tribuit, quem ita constituit:

μῦ μύ, μῦ μύ, φράζου.

Neque igitur dubitavit scholiastae tantam auctoritatem attribuere, ut eum secutus ex duplici gemitu acuto integras voces fingeret, quae merae sunt nugae. Omnino satius videtur huius scholiastae auctoritatem neglegere.

Post illa, quae dormiens adhuc pronuntiaverat chorus, quae quomodo constituenda nobis videantur modo exposuimus, Clytaemnestrae umbra novem senariis finit tragoediae prologum v. 134—142. In quibus cum Furias Orestem persequentes cum canibus venaticis comparet, Schützius coniecit v. 135 in verbis μέρμιναν οὔποτ' ἐκλιπὼν πόνου pro πόνου scribendum esse ἄγρας, collato v. 151: ὕπνῳ κρατηθεῖσ' ἄγραν ὤλεσα. Speciosa est coniectura (omnia optime se haberent, si ita scripsisset poeta), sed non necessaria. Idem iudicandum de Halmii coniectura, quam protulit Heimsoeth in libro qui inscriptus est 'Kritische Studien zu den Griechischen Tragikern' p. 159. Is enim sicut Schützius offensus in iterata voce πόνος v. 136 pro πόνος scribere vult κόπος. Contra Hermanni coniectura, qui v. 136 τὶ δρᾷς scripsit pro τί δρᾷς, poetae ne pulchri quidem aliquid aut speciosi affert. Multo enim gravius et multo accomodatius ad ipsius iram Clytaemnestra interrogat: 'Quid facis?', licet nihil adhuc fecerint Furiae, quam: 'Num quid facis?' Omnis autem offensio tollitur in interrogatione τί δρᾷς, si cum Wieselero iam post πόνου interrogationis signo distinguimus.

In extremis tribus Clytaemnestrae versibus (140—142) primum ineptum est, quod v. 140 initio libri habent οὐδ'. Duae prolatae sunt emendationes, altera Stanleii sive Pearsoni potius σύ δ', altera Weckleinii nuper prodita in libro, cuius supra mentionem feci, p. 164, σοῦ δ'. Utrumque rectam efficit sententiam; cum autem littera σ facilius librariorum incuria interire quam in ο mutari potuerit, Weckleinii emendatio videtur praeferenda. In fine huius versus Hermannus τῷ mutavit in τῷδ', quod suo iure reiecit Weckleinius, qui p. 165 maiorem locorum copiam collegit, quibus Aeschylus articulo utitur pronominis demonstrativi loco, ut huius fabulae v. 7. Itaque praeter illud οὐδ' in tribus his versibus nihil mutandum, neque cum Hermanno v. 141: ἀτμῷ κατισχναίνουσα, νηδύος πυρί, post 142: ἕπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν, traiciendus. Immo his verbis aptissime et cum momento quodam ea quae dicenda ei erant concludit Clytaemnestra. νηδύος πῦρ possit aliquis intellegere ignem ex matris, quam interfecerat Orestes, utero prodeuntem; aptius tamen vapores ex Furiarum ventribus proficiscentes et fugitivi mentem comprimentes intellegendi videntur.

Post Clytaemnestrae discessum sequitur parodos chori v. 143—177, quam in scaena cantatam esse res ipsa docet. Versus sunt maximam partem dochmiaci praemissis et intermixtis iambicis. Iam vero quaeritur de huius cantici inter singulos choreutas divisione. Non posse enim istud ab universo choro recitatum esse et quicunque in Aeschylo studia posuerunt viri docti consenserunt, et vetus scholiasta ad vv. 143. 147 apertis verbis testatur. Mihi quidem quattuor innotuerunt huius cantici divisiones: prima Hermanni iam pridem proposita in censura Eumenidum fabulae ab Odofredo Müllero editae, repetita in ipsius editione, altera Francisci Passovii praefixa indici lect. Univ. Vratisl. per aestatem a. MDCCCXXX habendarum; tertia Bambergeri in dissertatione 'de carminibus Aeschyleis a partibus chori cantatis' edita Marburgi Cattorum a. MDCCCXXXII, quarta denique Rossbachii in commentatione 'de Eumenidum antichoriis' praefixa indici lect. Univers. Vratisl. per aestatem a. MDCCCLX habendarum. Liceat mihi de Rossbachii cantici circumscriptione primum dicere, qui quamvis postremum de hoc cantico exposuerit, novam tamen ingressus est viam. Priores enim omnes inter singulos chori personas diviserunt; Rossbachius autem statim in prima commentationis pagina haec pro certis affirmans: 'carmina Aeschylea et inter hemichoria multo rarius esse dividenda quam nunc id fieri soleat, et inter singulos XII vel XV choreutas quae iure distribuantur, melica quidem omnino exstare nulla,' tres versus senarios (143—145) coryphaeo tribuit, primam et secundam stropham atque antistropham inter hemichoria dividit, tertiam stropham cum antistropha toti choro adscribit. Quam divisionem recte se habere mihi quidem haudquaquam persuasit, atque id eo minus, quia, ut eam conficiat, versus aliquot ei permutandi et traiciendi sunt. Quae tota Rossbachii doctrina, ex qua canticorum inter singulos choreutas divisiones non admittendae sunt, licet a plerisque, qui his temporibus de poetis scaenicis scripserunt, viris doctis probetur, tamen animum inducere non possum ut mihi probabilis videatur. Qua in re mecum consentire gaudeo, qui nuper de personarum divisione in Aristophanis canticis scripsit, Richardum Arnoldtium in duobus libellis, in dissertatione edita Regimontii Pr. a. MDCCCLXVIII, quae inscripta est 'De choro Aristophanis quaestiones scaenicae,' et in programmate gymnasii Elbingensis edito a. MDCCCLXXI. Qui vir quas leges de circumscribendis inter singulos choreutas poetae comici canticis ingenio sagaci constituerit, exponere non est huius loci. Sed ut ad nostrum locum redeamus, iam iudicanda est ratio, qua Passovius nostrae fabulae parodon inter singulos choreutas descripsit. Qui quidem in fine commentationis suae profitetur se putare ratione a se instituta non posse tantum describi locum sed etiam debere: laudat concinnitatem in personarum divisione. Sed si prima stropha inter quinque, antistropha inter quattuor personas dividitur, num id est concinnum? Similis inconcinnitas inest in Bambergeri circumscriptione, qui stropham atque antistropham primam inter primum et secundum chori ordinem (*στοίχους*), stropham atque antistropham alteram una cum stropha tertia inter tertium ordinem divisit, antistropham tertiam coryphaeae dedit. Quae omnes divisiones eo laborant, quod qui ita diviserunt coryphaeae praeter tres senarios versus (143—145) unum alterumve aliud dictum attribui volunt. Sed nonne aptissimum et maxime concinnum est chori ducem, quae prima de sella sua prosilit ceteras expergefactura, nihil aliud pronuntiare nisi tres illos senarios? Omnino autem, ut dicam quod sentio, probandam censeo Hermannianam huius cantici inter singulos choreutas divisionem, qua melior vix excogitari videtur posse. Loquuntur in prima stropha atque antistropha versibus iambicis praeter coryphaeam Furia tertia, quarta, septima, octava, dochmiacis vel dochmiacis similibus secunda, quinta, sexta, nona. In secunda stropha atque antistropha decima et duodecima ab iambis incipientes ad numeros dochmiacos progrediuntur, undecima et tertia decima acrioribus numeris utuntur. Simili modo quibus obtigit stropha atque antistropha tertia, quarta quintaque decima ab iambis incipientes ad dochmiacos progrediuntur. Ita id, quod suae divisioni laudi vertit Passovius, quod sapientissime poeta a brevioribus sensim ad longiora membra progredientem fecerit orationem, ut in fine totius cantici tertia stropha et antistropha ab integris personis choricis absolvantur, in Hermannianam quoque cadit. Recte Passovius adnotavit defervescentis hoc esse impetus, qui cum ab initio in exclamationes acerbas effunderetur, in sententias gravitate et pondere plenas desineret.

De singulis huius cantici locis duobus exceptis pauca adnotanda sunt. V. 149 in *ἄφερτος* Aeschylus usus est vocabulo suo et proprio, quod praeter hunc locum invenitur Eum. 471, Ag. 370. 378. 542. 1062. 1568, Choeph. 437. 463, itaque in sola Orestea.

V. 158—161. Ignominia (*ὄνειδος*), quam in somnio ad se aggressam aurigae instar stimulo sibi animum percussisse chorus dicit, nihil aliud esse potest nisi Clytaemnestrae umbra, quam ad se accessisse et opprobria obiecisse, quamvis dormientes, Furiae senserant. Ille stimulus dicitur *μεσολαβής*, quod dubitari posse Hermannus dicit utrum active de stimulo in medium corpus tendente, an, quod praestare videatur, passive intellegi debeat de stimulo, quem quis medium prehendit, quo fortius vibrari regive possit. Vellem omnem dubitationem sustulisset vir doctissimus; neque enim dubium esse potest, quin passive melius intellegatur hoc adiectivum. — Post *μεσολαβεῖ κέντρῳ* (v. 160) plene distinxerunt Bothius et Schützius, verba *ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν* coniungentes cum eis quae sequuntur. Ita autem distinguendo turbatur et sententia et antistrophica responsio, quare cum Hermanno post *λοβόν* plene distinguere praestat. Idem Hermannus v. 161 bis invitis libris *ὕπο* scripsit pro *ὑπό*. De qua mutatione cum nihil exposuerit, illud *ὕπο* aut videtur pro adverbio accepisse aut tmesi admissa cum *ἔτυψεν* coniunxisse. Sed versus antistrophicus (167): *περὶ πόδα, περὶ κάρα*, nostro singulis syllabis accuratissime respondens docet hic quoque *ὑπό* esse praepositionem.

V. 162 *δάμιος* quasi magistratus publicus cum euphemismo quodam dicitur carnifex: quod si secum reputasset Schützius, vix incidisset in coniecturam *θυμικοῦ*, quod vertit 'iracundi.' Item versu insequenti supervacanea est Wakefieldii coniectura *τι* pro *τὸ*, quam recepit Schützius et olim probaverat Hermannus.

In antistropha secunda (vv. 164—169) primum v. 165 reicienda est Heimsoethii coniectura prolata in illis libris, quos de Aeschylo emendando composuit, Wiederherstellung p. 103, Indirecte Überlieferung p. 182. Is offensus in voce *πλέον* substituendum putat *πέρα*, itemque v. 225 ei *πλέον* locum obtinuisse videtur particulae *πέρα* debitum. Sed si scholiasta quidam *δίκας πλέον* explicat *ὑπὲρ τὸ δίκαιον*, aut si in Hesychii glossa particulae *πέρα* adscriptum est *πλέον*, num hoc satis est causae quod omnibus quibus occurrit vox *πλέον* locis mutetur in *πέρα*? An *δίκας πλέον* 'iusto magis,' quod Heimsoethius negat esse loquendi formam ('was gar kein Ausdruck ist' eius sunt verba) non rectam efficiat sententiam?

Sed gravior restat in his versibus offensio, quam interpretibus movit vocabulum *θρόνον* (v. 166). Quod Schützius, qui plene distinxit post *δίκας πλέον*, cum eis quae sequuntur coniunxit, ut *γᾶς ὀμφαλόν* appositio sit ad *φονολιβῆ θρόνον*. Hac ratione, qua

scholiasta quoque hunc locum videtur intellexisse, apta quidem efficitur sententia; sed turbatur distinctione illa post δίκας πλέον accuratior antistrophica responsio, quae ne tum quidem servatur, si cum Schützio in stropha post κέντρῳ distinguimus. Sed plerosque editores metrica ratio offendit in voce θρόνον. Quae cum κέντρῳ (v. 160) respondeat, accuratam versus dochmiaci responsionem turbari putaverunt. Itaque Wakefieldius coniecit θρόμβον, qua coniectura meo quidem iudicio infelicior hoc loco excogitari non potest. Quam infelix sit coniectura, id quoque ostendit, quod quicunque eam receperunt alius aliter ea usus est. Ac primum ipse Wakefieldius verba φονολιβῆ θρόμβον περὶ πόδα, περὶ κάρα cum eis coniunxit quae sequuntur vertitque ita: 'videre est meram guttam caede stillantem a capite ad pedes, terribilem piaculum sanguinis, violenter irruens occupare telluris umbilicum,' quae aliter intellegi non possunt quam ut Orestes ipse sit haec mera gutta caede stillans. Misso illo quod θρόμβος ne est quidem gutta sanguinis sed cruor, num quid invenustius et poeta indignius esse potest quam Orestem dici meram sanguinis guttam? Aliquanto elegantius Schoemannus haec verba ita iunxit: πάρεστι γᾶς ὀμφαλὸν προσδρακεῖν, φονολιβῆ θρόμβον περὶ πόδα, περὶ κάρα, αἱμάτων βλοσυρὸν ἄγος ἔχειν. Ex hac ratione saltem non Orestes sed terrae umbilicus esset φονολιβὴς θρόμβος, qui cum Furiis sanguine respersus videatur, sane ita dici potuit. Hermannus denique post κάρα plene distinguens φονολιβῆ θρόμβον iunxit cum eis quae antecedunt. Qua quidem ratione servatur metrica responsio. Sed nescio quomodo vv. 164—167 Hermannus ita verterit: 'Talia perpetrant iuniores dei praeter fas sibi vindicantes caedis vestigia, i. e. iudicium sibi arrogantes parricidii.' θρόμβος enim vix dici possunt caedis vestigia. Ad metricam illam offensionem tollendam Wieselerus p. 31 scribendum proposuit θέρνον, quomodo inter se mutentur κράτος et κάρτος, vel ut idem mons a Paus. II, 36, 2 appelletur Θόρναξ, a scholiasta ad Theocr. XV, 64 Θρόναξ, Fritzschius θῶκον vel θᾶκον, Franzius dedit ex coniectura H. L. Ahrensii θρᾶνον. Quae omnia et ad sententiam apta essent et accurate responderent antistrophico vocabulo κέντρῳ. At emendatione omnino locus non videtur egere. Recte enim Rossbachius in commentatione, quam supra commemoravi, observavit non frequentem illam quidem esse liberiorem in numeris dochmiacis responsionem, sed non inusitatam tamen. Apud Sophoclem complura liberioris huius responsionis exempla inveniuntur. Quam ne Aeschylo quidem prorsus fuisse inusitatam exemplis quibusdam videor mihi posse comprobare. Ita Ritschelius eam admittendam censuit in Septem fabula, si quidem voces αἰθερία κόνις v. 81 respondere vult verbis βοᾷ ὑπὲρ τειχέων v. 88. Atque in Ag. v. 1076 voces δ' ἀκόρετος γένει respondent verbis v. 1087 δ' ἐν ἐνύδρῳ τεύχει, quo loco sine iusta causa Blomfieldius et Hermannus scripserunt κύτει pro τεύχει. Quare nostro loco servandum duco θρόνον et cum verbo δρῶσιν coniungendum, qua in re mecum consentire gaudeo et Weilium et editorem Gothanum (quem eundem nollem coniecisse θρόσσον, quod per ξένον explicatum exstat in Hesychii quadam glossa insuper depravata). Vocabula περὶ πόδα, περὶ κάρα ad φονολιβῆ referenda, quod ipsum, ut grammatici dicunt, προληπτικῶς accipiendum. Totus igitur locus ita constituendus ac vertendus:

τοιαῦτα δρῶσιν οἱ νεώτεροι θεοί,
κρατοῦντες τὸ πᾶν δίκας πλέον,
φονολιβῆ θρόνον
περὶ πόδα, περί κάρα.

'Tali iniuria afficiunt recentiores dii omnibus rebus potentes praeter fas thronum, ut sanguine respersus sit circa pedem, circa caput.'

De extremis duobus secundae antistrophae versibus nihil amplius adnotandum, nisi quod v. 169 offensus editor Gothanus in voce ἀρόμενον proposuit scribendum ἐρόμενον, quod ita accipi vult ac si diceretur ἐάν τις ἔρηται, 'si quis scire quaerit.' At nihil in hoc versu mutandum, cum illa aoristi forma satis a viris doctis sit defensa. Quod si quid mutandum esset, infelicior coniectura et ad gravitatem totius cantici minus apta quam illud ἐρόμενον vix mihi videtur excogitari posse.

Postquam in stropha prima et secunda suos labores et sollicitudines, in antistrophis iniurias et arrogantiam recentiorum deorum questus est chorus, in stropha tertia ad Apollinem conversus exprobrat ei, quod ipse sacrum suum matricida recepto macularit, in antistropha autem deo minatur illum fugitivum suis persecutionibus erepturum non esse. In primo strophae versu (170) Schützius restituit μάντις ὤν, cum libri habeant μάντι σῷ. Ad σῷ cum propius accedat σοί quam ὤν, Wieselerus p. 33 sq. priores duos strophicos versus una cum antistrophicis partim deteriorum librorum auxilio ita constituit:

170. ἐφεστίῳ δὲ, μάντι, σοὶ μιάσματι
171. σὸν οἶκον ἔχρανάς τ' αὐτόσσυτος, αὐτόκλητος.
174. κἀμοί τε λυπρὸς καὶ τὸν οὐκ ἐκλύσεται,
175. ὑπαί τε γᾶν φεύγων οὐπώποτ' ἐλευθεροῦται.

Coniecturae, in quam ego incideram, ut σῷ mutaretur in σῶ vel σῶς, non multum tribuendum esse ipse video, cum nusquam inveniatur vocativus adiectivi σῶς. Immo vix dubium esse potest quin hoc loco rectum viderit Heimsoeth Wiederherstellung p. 124. 185, cum in ius suum revocaret lectionem cod. Med. ἐχράνατ' et σῷ mutato in ὂν vv. 170. 171 ita scriberet:

ἐφεστίῳ δὲ μάντις ὂν μιάσματι
μυχὸν ἐχράνατ' αὐτόσσυτος αὐτόκλητος.

Referendum autem illud ὂν ad ὀμφαλόν (v. 168).

V. 172 παρὰ νόμον θεῶν βρότεα μὲν τίων 'praeter legem deorum humana colens,' satis aptam praebet sententiam. Quare neque Ahrensii coniectura opus est, quam recepit Franzius: περὶ νόμων θείων βρότεα μὲν τίων, i. e. 'magis quam divina iura mortalia colens,' neque Wieseleri, qui p. 35 ita scribi vult hunc versum: παρανόμων θεῶν κράτεα μὲν τίων, sexcentiens enim in Aeschyli codicibus mutatas esse litteras β et κ, ut duobus huius fabulae locis, v. 114 et 245 voces νεκρός et νεβρός.

V. 173 dubitatio exsistit, Μοῖραι utrum hoc loco sint Furiae ipsae an Parcae. Illud voluit Wakefieldius, hoc Schützius. Sed non debebat ad suam sententiam comprobandam Schützius afferre versum huius fabulae 333, ubi Μοῖρα in universum pro fato est dictum. Sed quamquam v. 947 aperte Μοῖραι a Furiis discernantur, nostro tamen loco Μοῖραι aliae esse non possunt nisi Furiae. Parcae enim non violatae sunt ab Apolline. Scholiastae quoque, qui huic versui adscribunt ἡμᾶς, Furias intellexerunt. Itaque etiamsi comprobari non posset etiam Furias Μοίρας dictas esse, tamen hoc loco eas intellegendas censerem. Sed apertum exstat testimonium scholiastae ad Soph. O. C. 229 Furias Μοίρας quoque dictas esse.

In antistropha tertia (vv. 174—177) primum notandum est ad ἐκλύσεται (v. 174) referri Apollinem, ad ἐλευθεροῦται (v. 175) Orestem. Et ex totius loci sententia hoc patet, et similia apud omnes omnium aetatum scriptores inveniuntur. Initio versus 174 cum libri habeant κἀμοί τε, probabilis est Rossbachii coniectura καίτοι γε.

Sed restat difficultas in totius cantici versu extremo. Librorum enim lectio *μιάστορ᾽ ἐκείνου πάσεται* et metrum et sententiam impedit. Versum enim esse dochmiacum antecedente dipodia iambica stropha docet. Et quod attinet ad sententiam, *ἐκείνου* ad Orestem, qui est subiectum verbi *πάσεται*, referri nequit. Quibus propositis difficultatibus varia excogitaverunt viri docti. Ac primum quidem quod proposuit Wieselerus p. 38 scribendum *ἔκ τινος* pro *ἐκείνου* nimis mihi videtur frigere. Schoemannus genetivum *ἐκείνου* glossema esse ratus et genuinam lectionem obscuravisse, vv. 176. 177 ita constituendos putat:

ποτιτρόπαιος ὢν δ᾽ ἕτερον ᾧ κάρᾳ
μιάστορ᾽ αὖτ᾽ ἐκεῖ πάσεται.

Quae verba aptam quidem sententiam praebent, sed nimis recedunt a librorum lectione. Ceterum illud *αὖτ᾽ ἐκεῖ* iam ante Schoemannum inventum. Ita enim scribendum Passovius proposuit in commentatione cuius supra mentionem feci, 'ex coniectura iuvenis optimae spei, Aemilii Dirlami.' De qua coniectura quod iudicavimus, idem iudicandum est de Hermanni *ἔστιν οὗ*, ut olim, vel *ἔστιν ὅν*, ut postea scribendum putavit. Weilius ex scholiastae verbis: *ὢν ἐναγὴς ἐν τῷ κάρᾳ ἑαυτοῦ ἕτερον μιάστορα λήψεται, καὶ οἱ ἐξ αὐτοῦ δίκας ἡμῖν δώσουσιν*, coniecturam elicuit *μιάστορ᾽ ἐκ γένους*, eam quidem parum probabilem. Quis enim esset ex eius genere Orestis vindex? Ceterum non dicit scholiasta id, quod Weilius ei imposuit, sed ipsum vindicandi munus, non solum Orestem sed etiam eius progeniem, Furiis tribuit. Vindices Orestis apud inferos Furiae tantum esse possunt vel Pluto, vel aliud Tartari numen vel denique, id quod cogitari potest, Orestes ipse. Itaque Bambergeri coniecturae *ἐξ ἐμοῦ* ad sententiam nihil obstaret, nihil etiam, in quam ipse incideram, *ἐξ αὐτοῦ*. Sed quid attinet vel afferre virorum doctorum coniecturas, quas nondum omnes percensuimus, vel ipsum earum augere numerum, cum omnino acquiescendum sit, dum melius aliquid inveniatur, in H. L. Ahrensii coniectura a Franzio et Rossbachio probata: *μιάστορ᾽ ἐκ νέου πάσεται*, quae et proxime accedat ad litterarum ductus et sententiae prorsus sufficiat. Minari Furias Oresti supplicia, quibus apud inferos eum exerciturae sint, apertum est; sed inferos ipsos significari hoc loco non opus erat, cum iam v. 175 dictum esset fugitivum ne sub terra quidem liberatum iri. — *Ποτιτρόπαιος* vel *προστρόπαιος*, proprie supplex, hic est 'scelere contaminatus,' ut apud Aeschin. de fals. leg. 158. — Futurum *πάσεται* hic non deducendum esse a *πατεῖσθαι*, gustare, sed ab insolentiore verbo *πάεσθαι*, sibi comparare, vix est quod moneam.

Totum hoc canticum in scaena a choro recitari mihi quidem certissimum est. Quod quibus de causis statuendum sit, fusius exposui in commentatione illa de re scenica in Aeschyli Eumenidibus p. VI. sq. Cui rationi id vel maxime consentit, quod Apollo Furias vv. 178 sqq. quam celerrime de templo suo cedere iubet. Sed aliter cum aliis viris doctis tum Wieselero visum. Qui cum illud canticum in orchestra a choro recitari velit, v. 178 pro *κελεύων* coniecit *κελεύθου*, quem genetivum ab altero illo *δωμάτων* suspendens versum ita scribi vult:

ἔξω κελεύθου τῶνδε δωμάτων τάχος
χωρεῖτ᾽,

atque ita intellegi, ut Apollo Furias reiciat a via in templum ducente. Quas si in scaena, i. e. in templo ipso canticum recitantes facimus, nihil mutatione opus est. Tota autem hac oratione, quae incipit a verbis *ἔξω κελεύω*, atrocissima in Furias convicia iactat Apollo. Coacturum se eas esse dicit sagittis suis celeribus ex arcu missis, ut dimittant atrum hominum cruorem, vomentes frusta caedis, quae absorbuerint, v. 180 — 183. In quorum versuum

extremo genetivus *φόνου* rectius a *θρόμβους* quam ab *ἀφείλκυσας* suspenditur, id quod Schützius indicavit verba *οὓς ἀφείλκυσας* commatis includens. Fingit igitur poeta Furias homines exsugendo cruore tabefacientes, quem vomendo reddere eas se coacturum esse Apollo minatur. Neque enim decere eas hisce aedibus appropinquare, sed ibi versari, ubi summa sint omnia supplicia maximique cruciatus. Quos cruciatus his verbis, ut sunt in libris scripta, Apollo describit v. 185—189:

ἀλλ᾽ οὗ καρανηστῆρες ὀφθαλμώρυχοι
δίκαι, σφαγαί τε, σπέρματός τ᾽ ἀποφθοραί,
παίδων κακοῦται χλοῦνις ἠδ᾽ ἀκρωνία
λευσμόν τε καὶ μύζουσιν οἰκτισμὸν πολὺν
ὑπὸ ῥάχιν παγέντες.

In primo horum versuum iam Stanleius correxit *καρανιστῆρες* ex *καρανηστῆρες*. Eis quae sequuntur puerorum castrationem significari patet; sed de singulis verbis minime constat. Quae cum interpretetur scholiasta: *χλοῦνις ἡ ἀκμαία ἀποκοπή, παρὰ τὴν χλόην· ἢ ἐπεὶ χλοῦνις ὁ σῦς. κάπροι δὲ συνεχῶς εὐνουχίζονται, διὰ τοῦτο τὴν ἀποκοπὴν συϊκὴν εἶπεν, οὐκ ἀνθρωπίνην. ἡ ἐκτομὴ μορίων*, castrationis significatio in vocabulo *χλοῦνις* inesse vulgo putabatur. Et profecto iam a veteribus hoc vocabulum ita acceptum esse aliis quoque testimoniis evincitur, ut Aeliani, Eustathii, scholiastae ad Iliadem, quorum verba Hermannus affert. Itaque *χλούνην σῦν ἄγριον* (Il. IX, 539) castratum aprum intellegi et scholiasta et alii interpretes voluerunt: quem si ferociorem esse dicunt, num id naturae sit conveniens ipsi videant. Simul in hoc vocabulo infuisse effeminati aliquid, quale habere solent spadones, a Suida docemur, qui ad vocem *χλοῦναι* haec adscribit: *λωποδύται οἱ ἐν τῇ χλόῃ εὐναζόμενοι. καὶ χλούνης, μονιός, πληκτής, κακοῦργος, χαλεπός. καὶ ὁ ἀπόκοπος. χλούνης τε καὶ γύνανδρος ἀνήρ, εἰ δοίημεν αὐτὸν ἄνδρα εἶναι, διὰ τῶν Ἐπικούρου λόγων τὴν ψυχὴν ἐκνευρισθεὶς καὶ θῆλυς γενόμενος.* Idem s. v. *γύννις* coniungit *ὁ χλούνης τε καὶ γύννις.* Veteres igitur vocabulis *χλοῦνις* et *χλούνης* castrationis significationem iniunxisse negari non potest. Atque nostra quoque aetate haud despiciendi exstiterunt interpretes, qui nostro loco hoc vocabulum ita acciperent. Satis sit duos attulisse. Wieselerus p. 40—46 vocem *ἀποκοπή*, qua scholiasta utitur, ab initio fuisse in poetae ipsius verbis putat, in cuius locum irrepserit *κακοῦται* vel *κακοῦ τε. χλοῦνις* autem ei est nomen adiectivum. Totum igitur versum 187 ita constitutum:

παίδων ἀποκοπὴ χλοῦνις ἠδ᾽ ἀκρωνία,

ita vertit: 'Detruncatio castrans (sive evirans) et ad extrema corporis membra spectans,' h. e. detruncatio genitalium et extremorum corporis membrorum. Hermannus *κακοῦται* mutans in *κακοῦ τε* atque id ipsum *κακοῦ* falsum obtinuisse locum putans versum ita edidit:

παίδων τε χλοῦνις, ἠδ᾽ ἀκρωνία κακοῦ.

Sed hoc loco quaestio exsistit, num voces *χλούνης* castratum et *χλοῦνις* castrationem cum proprie tum apud Homerum et Aeschylum significaverint. Quod quidem veteribus interpretibus adeo constabat, ut alio quoque loco Aeschylum vocabulo *χλούνης* pro spadone usum esse vellent. Scholiastae enim ad Il. IX, 539 haec sunt verba: *χλούνην οἱ μὲν ἀφριστήν· χλουδεῖν γὰρ τὸ ἀφρίζειν τινὲς Δωριέων ἔλεγον· ἄλλοι δὲ κακοῦργον· καὶ γὰρ τῶν ἀρχαίων ἰαμβοποιῶν τινα φάναι 'ἀνὴρ ὅδ᾽ ἑσπέρης καθεύδοντα ἄπουν ἔδησε χλούνην'· Ξενοφῶντα δὲ γένος τι Ἰνδῶν φάναι τὸν χλούνην εἶναι, καθάπερ καὶ παρ᾽ Αἰσχύλῳ ἐν Ἠδωνοῖς 'μακροσκελὴς μὲν ἄρα μὰ χλούνης τις ᾖ.* Cf. A. Nauck, Tragicorum Graecorum fragmenta p. 17. Quem locum Her-

mannus in dissertatione 'de Aeschyli Lycurgia' inserta Opusculorum Vol. V, p. 10—13 ita emendare studuit, ut *χλούνην* locustam intellegeret, quare apud Xenophontem pro *Ἰνδῶν* scribere vult *ἀκρίδων*, et Aeschyli versum ita constitueret:

Ἄγγ. μακροσκελὴς μέν. Λυκ. ἆρα μὴ χλούνης τις ἦν;

Quae Hermanniana ratio probatur etiam a Weckleinio l. c. p. 167, nisi quod is pro *ἀκρίδων* vult *ἐμπίδων*. Id quidem videtur constare, *χλούνην* proprie non esse spadonem sed *τὸν ἐν χλόῃ εὐναζόμενον*. Quare de locusta longa crura habente et viridi herbae incubante facile usurpari potuit hoc vocabulum. Sed etiam *χλούνην σῦν ἄγριον* illum apud Homerum non esse aprum castratum iam Aristophanes Byzantius perspexit, cf. quae exposuit in libro de huius grammatici fragmentis edito A. Nauckius p. 120—122. Ipse Nauckius hoc vocabulum a *κλόνος* derivari vult, ut *χλούνης* sit 'turbas ciens,' 'perniciosus,' *χλοῦνις* 'perturbatio sive angor animi.' Qua interpretatione noster locus non expeditur. Nihil autem videtur obstare quin *χλούνης* etiam aper intellegatur *ὁ ἐν τῇ χλόῃ εὐνάζομενος*, in viridi herba pernoctans, *χλοῦνις* item a *χλόη* derivatum significet florem aetatis sive vigorem et animi et corporis. Qua ratione probata a Weckleinio quoque noster locus, quantum pertinet ad vocem *χλοῦνις*, plane illustratur. Sed illud vereor ut cuiquam persuaserit, *παίδων* hic pro genetivo quem obiectivum grammatici dicunt accipiendum esse, ut *παίδων χλοῦνις* vis sit ad liberos procreandos. Ita propterea statuendum censet, quod pueri tenera aetate castrari non soliti essent. Vellem evolvisset, ut hoc unum exemplum adsciscam, Herod. III, 48, ubi narratur trecentos Corcyraeorum pueros a Periandro Corinthiorum tyranno ad Alyatten Lydorum regem *ἐπ' ἐκτομῇ* missos esse. Sed haec rectam vocis *χλοῦνις* interpretationem non attingunt. Quae vox cum eo quod *χλούνης σῦς* est aper in viridi herba pernoctans, tum eo quod castratus aper a veteribus putabatur ferocior esse, castrandi significationem, quae proprie in ea non inest, facile recipere potuit. Item Weckleinius viam ostendit, qua etiam tertia significatio, quam Hesychius et Suidas huic voci attribuunt, *λωποδύτης*, irrepere potuerit: ita dictum esse furem locustae instar ex improviso ex herbis arborumque frondibus emergentem. Non idem sed simile est facetiarum genus, si nos furem dicimus 'einen Langfinger.' Quodsi *χλοῦνιν* intellegimus vigorem, in verbo *κακοῦται* nihil mutandum; pro *ἀποφθοραί* autem, quae vix est mutatio, cum Erfurdtio et Schützio scribendum *ἀποφθορᾷ*, ut v. 106 *καρδίᾳ* pro *καρδίαι*.

Sed iam missam faciamus vocem *χλοῦνις* et transeamus ad alterum huius versus vocabulum nobis adhuc expediendum, *ἀκρωνία*. Cuius duplex exstat explicatio: altera Herodiani a scholiasta huius loci et ab Hesychio aliisque lexicographis servata, qui hoc vocabulum explicant *σύστημα καὶ ἄθροισμα* vel *ἄθροισις, ἀθροισμός, παράστασις, πλῆθος*; altera, ex qua idem est atque *ἀκρωτηριασμός*, mutilatio membrorum corporis extremorum. Valde mirabilem esse illam Herodiani explicationem, quippe quae minime congruat vocabuli originationi, et sponte patet et a compluribus viris doctis, qui de hoc Aeschyli loco scripserunt, est adnotatum. Sed ne mutilationis quidem significatione cum verbo *κακοῦται* vox *ἀκρωνία* apte coniungitur. Mihi quidem quin haec vox corrupta sit non est dubium. Quamquam me certam emendandi rationem nondum invenisse confiteor. Si quis autem respexerit antecedentem versum, in quo pro *ἀποφθοραί* dativus restituendus, ei in mentem venire poterit *ἀκρωνίᾳ* quoque esse scribendum, et verba *ἠδ' ἀκρωνίᾳ* coniungenda cum *σπέρματος ἀποφθορᾷ*. Sed sicut ex voce *ἀποφθορᾷ* genetivus pendet *σπέρματος*, ita *ἀκρωνίᾳ* tam nude positum nimis videtur frigere. Quod ipsi mihi venit in mentem, scribendum *ἄκρα νέα*, satis

illud quidem esse incertum haud ego dissimulo. At aliqua tamen istud ratione firmari potest. *ἄκρα* pro substantivo usurpatum vulgo de locis altis tantum dicitur; cum autem *ἄκρα* sit 'cacumen' vel 'fastigium,' quidni dicatur *ἄκρα νέα*, 'iuventutis fastigium' i. e. flos? Exemplum quidem unum tantum afferre possum, quo non de altis locis dicitur *ἄκρα*, atque id scriptoris multo Aeschylo aetate posterioris. Dioscorides enim, cuius poetae carmina in Anthologia servata exstant, loco quopiam utitur verbis: *ἄκραν κουφότητος ἔχειν*. Atque etiam Hesychius ad vocem *ἄκρα* adscribit haec tria: *ἀκρόπολις. ἀρχὴ ἢ τέλος.* Quidni *τέλος* intellegatur status perfectus? Quae si cui audacior videtur coniectura, quae ad litterarum quidem ductus satis sit facilis, significationem autem inducat vocis *ἄκρα* insolitam et parum probatam, ei aliam praeterea proponere possumus, sed magis recedentem a librorum lectione. Quid enim? omnes huius versus difficultates nonne tolluntur, si scribimus *ἠδ' ἀκμὴ νέα*, sive ut vocabulis *παίδων χλοῦνις* magis etiam respondeat, *ἀκμὴ νέων*? Etiam a scholiasta aliqua ex parte fulcitur haec coniectura: posse enim saltem in verbis: *χλοῦνις ἡ ἀκμαία ἀποκοπή*, latere substantivum *ἀκμή* nemo negabit. Neque vero dubitaverim, quod affirmavit Weilius ad v. 122, interdum accidisse ut vox rarior in locum vocabuli inusitati succederet, id in huius quoque loci usum convertere. Satis quidem lene est remedium, quo Heimsoeth Wiederherstellung p. 418 locum sanatum putat scribendo *ἀκρωνίαν* pro *ἀκρωνία*, ut accusativus pendeat ex verbo *μύζουσιν*, quod est in sequenti versu. Sed meo iudicio ne is quidem recte se habet. Hermanno quidem accusativus *λευσμόν* ex *μύζουσιν* recte pendere videtur. Sed aliis aliter visum. Et profecto potest dici *μύζειν οἰκτισμόν*, quod est genus figurae quam grammatici dicunt etymologicae; potest item *μύζειν λευσμόν*, 'ingemiscere lapidatione' vel 'complorare lapidationem;' potest, id quod vult Heimsoethius, *ἀκρωνίαν λευσμόν τε μύζειν*. Sed utrumque coniunctum totam sententiam perturbat. Quod discrimen quamquam Wieselerum non fugit, immo fusius ab eo expositum est, tamen acquiescendum putat in librorum scriptura. Contra Franzius et Weilius receperunt Casauboni coniecturam *λευσμός*, alii malunt *λευσμοί*. Quod utrumque cum neque cum *κακοῦται* neque cum *μύζουσιν* coniungi possit, supplendum esset verbum substantivum. Sed media posita inter duas plenas sententias sola vox *λευσμός* nimis friget. Mihi quidem in hac voce nominativus latere videtur ad verbum *μύζουσιν* referendus. Itaque quam proxime accedentibus litterarum ductibus ad librorum scripturam v. 188 ita mihi scribendus videtur: *λεῴ θ' ὁμοῦ μύζουσιν οἰκτισμὸν πολύν*. De vocabulo *λαός*, quod in codicibus saepius cum *λᾶας* aliisque inde ductis mutatur, Wieselerus quoque p. 44 cogitavit. Totum igitur hunc locum, ut paucis comprehendam quae effecisse mihi videor, sic restituerim:

185. *ἀλλ' οὗ καρανιστῆρες ὀφθαλμώρυχοι*
186. *δίκαι, σφαγαί τε, σπέρματος τ' ἀποφθορᾷ*
187. *παίδων κακοῦται χλοῦνις ἠδ' ἄκρα νέα* (vel *ἀκμὴ νέων*),
188. *λεῴ θ' ὁμοῦ μύζουσιν οἰκτισμὸν πολύν*,
189. *ὑπὸ ῥάχιν παγέντες.*

Quae statim sequuntur v. 189—191, ita iungenda: *ἆρ' ἀκούετε, οἵας ἑορτῆς στέργηθρα ἔχουσαι ἔστ' ἀπόπτυστοι θεοῖς;* Itaque inutilis est Weilii coniectura *ἆρ' ἀκούετε; τοίας ἑορτῆς κτλ.* Ceterum totam hanc sententiam ironice ab Apolline dici patet.

V. 193 sq. cum libri habeant: *οὐ χρηστηρίοις ἐν τοῖσδε πλησίοισι τρίβεσθαι μύσος*, in voce *πλησίοισι* omnem vim posuit Hermannus ut probaret canticum illud v. 146—177

a choro in orchestra recitari. Contra quam rationem quae mihi afferri posse videbantur, attuli in commentatione 'de re scenica in Aeschyli Eumenidibus' p. VI sq. Quod canticum alio loco nisi in scaena non posse recitatum esse cum intellexissent interpretes, alii alia conati sunt ad tollendam offensionem, quae inesse videbatur in voce *πλησίοισι*. Ac Pauwius scribere voluit *πλουσίοισι*, editor Gothanus *πλαισίοισι*, quo vocabulo significari vult pavimentum tessellatum, Weilius coniecit: *ἐν τοῖς δ' ἀπαίσιόν τι τρίβεσθαι μύσος*. Sed non opus est correctione, si Furias inter ipsa Apollinis verba scaenam relinquere et in orchestram irruere statuimus, id quod ea quoque de causa aptissimum est, quod initio orationis suae (v. 178) Apollo Furias de templo suo cedere iubet.

In extremo Apollinis versu (196) *εὐφιλής* active accipiendum est, ut sit 'amicus.' Quod adiectivum cum passive accipiendum sit Ag. 34, hanc significationem nostro quoque loco restituere conatus est editor Gothanus v. 196 ita scribens:

ποίμνης τοιαύτης δ' οὔτις εὐφιλὴς θεῷ.

Mutatio est illa quidem lenissima, sed non necessaria, cum sexcenta sint apud Graecos adiectiva, quae eadem et active et passive intellegantur.

Sequitur altercatio inter chorum et Apollinem v. 197—230, qua finita relinquunt Furiae sacrum Delphicum Orestem Athenas persecuturae. In primis tribus chori senariis certissima, immo plane necessaria est Canteri emendatio *εἷς* pro *εἰς*, id quod ostendit oppositum huic voci *μεταίτιος*, i. e. is qui non totam sed partem tantum habet culpae. Neque scholiasta vocem *εἰς* videtur legisse, qui huic versui adscripserit: *οὐκ ἐπικοινωνῶν τῇ αἰτίᾳ, ἀλλὰ τοῦ παντὸς σὺ αἴτιος*. *ὡς* autem cum Wakefieldio mutare in *ὢν* non opus est.

V. 203 cum in cod. Med. scriptum sit *δ' ἕκτωρ*, in margine adscriptum: *οἶμαι δέκτωρ*, editor Gothanus scribere vult *γ' ἕκτωρ*. Quamvis aliis locis ipse non dubitaverim in Aeschylum inferre vocabula quaedam insolentiora et a posterioribus demum scriptoribus usurpata, hoc tamen loco in cod. Med. disiunctio vocis *δέκτωρ* vetus videtur vitium librariorum incuria ortum.

Post v. 205 interrogationis signo distinxit Victorius, quem immerito secuti sunt Müllerus et Weilius. Nihil enim causae erat choro quod interrogaret Apollinem, num sibi malediceret. Quod ipsum quoque Müllerum sensisse inde sequitur, quod in versione Germanica post hunc versum non interrogationis sed exclamationis signum posuit.

Vv. 210. 211 interpretes alii aliter constituerunt atque explicaverunt. Primum recte Hermannus v. 211, qui in libris Apollini continuatur, choro videtur tribuisse. Ac Müllerus quidem personarum distributionem quae est in libris servavit genetivum *γυναικός* suspendens ab *ὅμαιμος αὐθέντης φόνος*. At ne interrogare quidem potest Apollo, num caedes a muliere in marito perpetrata caedes consanguinea sit: consanguineos enim vulgo non esse coniuges, et certe non fuisse Agamemnonem et Clytaemnestram constat. Contra chori erat apertis verbis eloqui discrimen aliquod esse inter Agamemnonis caedem a Clytaemnestra illi non consanguinea, et ipsius Clytaemnestra ab Oreste filio factam: hanc persequendam sibi esse, illam non esse. Hunc esse sententiarum nexum iam Wellauerus perspexit, qui genetivum *γυναικός* suspendit a voce *μητραλοίας* aut singulari potius *μητραλοίαν*. Aliter de hoc versu statuerunt Wieselerus et Heimsoethius, in eo inter se consentientes, quod post verba *γυναικὸς ἥτις ἄνδρα νοσφίσῃ* interruptam volunt Apollinis orationem. Ac Wieselerus p. 48 in scholiastae explicatione: *τί προστέταχθε ποιεῖν παρὰ ἀνδροφόνου γυναικός*; inesse putans praepositionem *παρά* vel *πάρ* versum ita constituendum putavit:

τί παρὰ (vel *πάρ*) *γυναικὸς ἥτις ἄνδρα νοσφίσῃ* ....

interrupta sententia, quod ita vertit: 'quale facinus mulieris censes esse, quae virum suum vita privavit?' Scholiastam autem praepositionem *παρά* hoc loco legisse ex eis, quae adscripsit, minime efficitur, sed tantum sequitur, eum hunc versum non intellexisse; quod cum saepius acciderit, mirabiliora etiam ad difficultates tollendas adscribere solent scholiastae. Noster autem etiam si hic legisset praepositionem *παρά*, prorsus aliam tamen sententiam dicentem facit Apollinem ac Wieselerus. Simili ratione Heimsoethius p. 422 libri qui inscriptus est 'Wiederherstellung' cet. huic loco succurrendum censet: interruptam esse post *νοσφίσῃ* Apollinis orationem atque ita supplendam: *φόνος οὐ ζημιωθήσεται*; ita vocem *φόνος* utriusque sententiae commune esse subiectum. Tales sententiarum interruptiones (*ἀποσιωπήσεις*) apud poetas tragicos in personarum altercationibus, quas *στιχομυθίας* Graeci dicunt, saepissime occurrere satis est notum: nostro autem loco aptior efficitur sententia ea, quam iam Wellauerus ingressus est, interpretandi ratione.

Eis quae chorus dixerat de caede in marito facta sibi non persequenda Apollo obicit ex naturali quodam iure petitam fidem deorum coniugum inter se amorem et coniugalia iura tuentium v. 212—223. In quorum versuum primo primum est prorsus otiosa Heimsoethii (p. 421) coniectura *ἄπιστα* pro *ἄτιμα*. Eo quod sequitur *Κύπρις δ' ἄτιμος* lectio *ἄτιμα* in priore versu non impugnatur sed confirmatur. Tum librorum scripturam *καὶ παρ' οὐδὲν ἠρκέσω* corruptam esse inter omnes constat. Varia coniecerunt viri docti. Heathii coniectura *καὶ παρ' οὐδὲν ἤρκεσ' ἄν* satis aptam efficeret sententiam, si abesset particula *ἄν*, in qua Hermannus quoque offendit. Quam offensionem Weilius removit scribendo *ἤρκεσεν*. Bothius dedit *παρ' οὐδὲν ἀρκέσει*, quod receperunt Müllerus et Schoemannus. Sed futuro hic nullus locus est. Editor Gothanus hic quoque ut saepius reconditius quid latere putans, velut *ἠρτάσω*, recepit tamen *ἡρμόσω*. Wieselerus p. 49 pro *ἠρκέσω* commendans *εἰργάσω* v. 212 sq. ita vertit: 'profecto valde inhonorata reddidisti Iunonis pronubae et Iovis foedera.' Conferrique iubet Ag. 214, ubi legitur: *λιτὰς δὲ καὶ κληδόνας πατρῴους, παρ' οὐδὲν αἰῶνα παρθένειόν τ' ἔθεντο φιλόμαχοι βραβῆς*. Sed *παρ' οὐδὲν τίθεσθαι* usitatissima est loquendi forma, quacum *παρ' οὐδὲν ἐργάζεσθαι* consentire nequaquam Wieselerus probavit. Hermanni *καὶ παρ' οὐδὲν ἧκέ σοι* ad sententiam prorsus est aptum, sed nimis recedit a librorum scriptura. Atque eadem quam vult Hermannus efficitur sententia, minus autem receditur a librorum scriptura, si cum Franzio, id quod iam Wellauerus proposuit, recipimus *ᾐδέσω*. At verbum neutrum vel passivum hoc loco requiri Heimsoethius contendit p. 421, et recte contenderet, si vocabulum *ἄτιμα* nominativus esset. Quodsi reponimus lectionem *ᾐδέσω*, *ἄτιμα* accusativus est *προληπτικῶς* usurpatus, atque ita vertenda tota sententia: 'Iovis et Iunonis pronubae iura ita nihili aestimasti, ut (tibi) inhonorata sint.'

V. 216. De vocabulo *μόρσιμος* v. quae ad v. 23 adnotavimus. Insequenti v. iterum in ius suum restituenda est Wellaueri interpretatio, eius editoris qui iusto magis videtur a posterioribus neglectus esse. Pro *μείζων* enim Heathius coniecit *μεῖζον*, quod adverbium cum *φρουρουμένη* coniungendum tantum abest ut aptam hic efficiat orationem, ut totam sententiam mirum in modum perturbet. Neque enim semper coniugium a coniugibus iureiurando magis colitur. Itaque suo iure recentiores interpretes hanc Heathii coniecturam, quae depravatio est, non emendatio, reiecerunt. Est autem *μείζων* cum *εὐνή* iungendum, torus ipse viro feminaeque fatalis iureiurando maior praedicatur; additur autem *τῇ δίκῃ φρουρουμένη*, i. e. 'si iuste colitur vel servatur.' Ita iam Wellauerus hunc locum intellexit.

V. 219 cum libri habeant τὸ μὴ γενέσθαι, Meinekius et Hermannus coniecerunt τὸ μὴ τίνεσθαι, Heimsoeth Wiederherstellung p. 41 τὸ μὴ μέλεσθαι, Petersenus τὸ μηδ' ἕπεσθαι. Cui cum recte Hermannum obiecisse videam saltem scribendum fuisse τὸ μήθ' ἕπεσθαι μήτ' ἐποπτεύειν, mihi venit in mentem scribendo τὸ μὴ 'φέπεσθαι verbum efficere, quod et ad litterarum ductus quam proxime accederet et ad sententiam prorsus esset accomodatum, quippe quo significaretur Furiarum persequendi studium.

Insequentem versum, in quo libri habent γ' ἐνδίκως, quod γ' plerique mutaverunt in σ', recte novissimi editores, Gothanus et Weilius, ita videntur edidisse:

οὔ φημ' 'Ορέστην γ' ἐνδίκως σ' ἀνδρηλατεῖν.

Eidem in versibus 221 sq. non immerito offenderunt. Iam Hermannus olim εἶδον coniecerat pro οἶδα, quo non multum nos lucrari recte Weilius contendit. Eis quae antecedunt Furiis Apollo exprobraverat, quod indulgerent coniugibus invicem se occidentibus, i. e. Clytaemnestrae; quare ne Orestem quidem tam graviter eis persequendum esse. Itaque dicere deum oportet altero illo, i. e. coniugis caede, non gravari chorum, alterum, i. e. matricidium Orestis, nimis aegre ferre. In librorum autem scriptura:

τὰ μὲν γὰρ οἶδα κάρτα σ' ἐνθυμουμένην,
τὰ δ' ἐμφανῶς πράσσουσαν ἡσυχαιτέραν,

duo offendunt, primum quod quae aequo animo ferat chorus, quae iniquo, contrario ordine dicta sunt atque in antecedentibus verbis, tum πράσσειν ἡσυχαιτέραν, inusitatum dicendi genus pro ῥᾳδίως φέρειν vel simili quopiam. Magis etiam suspecta haec verba fiunt, si scholia evolvimus, in quibus vox ἡσυχαιτέραν explicata est per δολιωτέραν, quae duae voces quam parum inter se conveniant apparet. Quare quin aliquid vitii lateat in his duobus versibus vix dubitari potest. Sed nimis a vero aberravisse mihi videtur editor Gothanus, cum eos ita constitueret:

τὰ μὲν γὰρ οἷα κάρτα σ' ἐνθυμουμένην,
τὰ δ' ἐμφανῶ πράσσουσαν ἡσυχαιτέραν.

οἷα 'utpote' apud Aeschylum non inveniri ipse concessit, cum apud Sophoclem non infrequens esset; verbo ἐμφανῶ diem dictam Furiis apud Minervam ab Apolline vult. Consideratius egit Weilius, qui nihil mutavit nisi οἶδα in οἶδ' οὐ, quid in ἡσυχαιτέραν lateret se nescire dicens. Recepta hac emendatione οἶδ' οὐ κάρτα is qui requiritur sententiarum ordo restituitur. Iam vero ἡσυχαιτέραν nullo pacto recte se habere potest. Non dubitarem id ipsum quod scholiasta habet, δολιωτέραν, versui inserere, nisi metrum obstaret. Dum melius quid inventum erit, acquiescendum puto in eo quod mihi venit in mentem, ἀγριωτέραν, quod cum πράσσουσαν apte coniungitur. Itaque hi duo versus ita scribendi:

τὰ μὲν γὰρ οἶδ' οὐ κάρτα σ' ἐνθυμουμένην,
τὰ δ' ἐμφανῶς πράσσουσαν ἀγριωτέραν.

'Illud enim scio te non valde curantem, haec autem aperte ferocius tractantem.'

V. 225 neque opus est cum Müllero recipere Wakefieldii coniecturam πόνων, qui genetivus ex πλέον suspendendus esset, neque cum Aurato aliisque hoc ipsum πλέον mutare in πλέω, id quod olim probavit Hermannus, sed ipse postea reiecit. πλέον τίθεσθαι hic idem est quod alias περὶ πλέονος τίθεσθαι vel ποιεῖσθαι. Et profecto exquisitior haec est sententia: 'Tu pluris fac vel praefer laborem', quam altera illa: 'Tu tibi plus laboris fac.' Denique vix recta esse potest Fritzschii verborum πόνον πλέον τίθου versio: 'mache dir deine Plage voll,' quam versionem miror probatam esse Wieselero p. 50. Ceterum hic versus cum irrisione ab Apolline est dictus, quam chorus quoque eis quae respondet se sensisse significat. Insequenti versu ψόγῳ Hermanni est coniectura, non illa quidem certa, sed admodum probabilis. λόγῳ cum per se satis est languidum, tum illud τιμὰς σὺ μὴ σύντεμνε fortius aliquod vocabulum requirere videtur.

Post altercationem cum Apolline orchestram relinquit chorus Orestem persecuturus, cum dicat istum quidem magnum dici apud Iovis solium, se autem materni sanguinis vestigiis ductum supplicium de illo sumere non esse desiturum, v. 228—230. Qui versus non ab omni parte difficultate vacant. Vv. enim 229. 230 in optimis libris ita sunt scripti:

ἐγὼ δ' ἄγειν γὰρ αἷμα μητρῷον δίκας
μέτειμι τόνδε φῶτα κἀκκυνηγέτης.

